





381
M
19











ABRAHAMI à WESEL, JC.

Et Provinciæ Ultrajectinæ Advocati Fisci,

TRACTATUS
DE
REMISSIONE MERCEDIS,

Propter Bellum, Inundationem aquarum, & Sterilitatem.



AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM & THEODORUM BOOM.
cIↄ Iↄ c Lxxviii.



Illustrissimis, Potentissimisque

PROVINCIÆ

ULTRAJECTINÆ

ORDINIBUS

Patriæ Patribus.



Ure velut profectitio quodam ad Vos redit, *Illustrissimi Ordines*, hæc mea de remissione mercedis dis-

ſertatio. Quibus enim aliis convenientius eam dicaſſem, cum ad iſtum agrum excolendum, rus integrum mihi ſubminiſtraveritis? Continet namque commentariolum in Veſtrum edictum, quod anno 1674, menſe Junii, promulgaſtis, de hoſpitationibus, & vaſtationibus Gallorum militum, inundationibus aquarum, &, quod conſequitur, ſterilitatibus fundorum. In quo nec æquitas juſtius, nec Juſtitia poſſet dictare ſanctius. Itaque quicquid ſinu ſuo libellus noſter complectitur, à Vobis ſatum, à Vobis natum, & ortum eſt. Nec ea tantum cauſa eſt, *Illuſtriſſimi Proceres*, ut ad Vos veniat, verùm, quod mihi primum & palmarium

puto,

puto, Veſtra ergà me benignitas ad hoc me impulit, cum honorifica veſtra de ſtudiis meis opinio hanc mihi, apud Vos, gratiam conciliaverit, ut me Provinciæ Veſtræ Fiſci Patronum conſtitueritis. Quam ego ſpartam non tantùm ſummâ vigilantiâ pro virili tueri, ſed & ſcriptis meis exornare nitor: ut, ſi iſto munere non planè dignus, non omnino tamen indignus haberer. Deſtinaveram majus aliquod opus (Quæſtionum nempe forenſium mearum, quod ferè affectum habeo) Vobis, *Illuſtriſſimi Ordines*, dicare, quibus hanc de remiſſione mercedis materiam inſerere mecum conſtitueram, ut pro Amplitudine Veſtra, amplior quoque, & comi-

tatior, gratæ erga Vos meæ voluntatis, in publicum prodiret teſtis. Verùm ex amicis meis non pauci (quibus multum tribuo) rebantur fructum hujus mei, in hoc tractatu, laboris, calamitoſis hiſce temporibus ad multos poſſe pervenire, nec oportere in eo vulgando remoram injici, ſed publicæ rei intereſſe, ut quam citiſſime foras exiret. Patiamini ergo, *Illuſtriſſimi Proceres*, ut ſub auſpicatiſſimo Veſtri Nominis & Ordinis ſplendore lucem adſpiciat præcox hic meus fructus, & prodromus, qui reliquorum maturitatem prævertat: quando, ſi Deus dederit, laboribuſque meis aſpiraverit, gratum animum, & obſequium erga Vos meum, uberiore

meſſe

messe exhibebo. Interea, *Illustrissimi Ordines*, valete, feliciter Rempublicam gerite, ac me fovete. In quo Deus Ter Opt. Max. Vos & consilia Vestra sospitet.

Dabam Trajecti ad Rhenum 1 Calend. Novembris 1677.

Illustrissimi, & Potentissimi Proceres

Vester Devotissimus & Observantissimus Cliens

A. van WESEL.

Lectori Benevolo S.

NUper in lucem emisi Tractatum *de Connubiali bonorum societate, & pactis dotalibus*, qui quanquam plurimos nactus est adstipulatores, unum tamen habuit cavillatorem Professorem Batavum, *Antonium Matthæum*, minimum inter tantos ejusdem nominis viros; qui etsi à me nunquam, aut re, aut verbis, læsus sit, tam insipienter tamen & malitiosè mea conatur perstringere, ut dubites miserandus sit, an irridendus. Scripsit enim, sub titulo Observationum Rerum Judicatarum, in me libellum ferè famosum, qui apud omnes judicatur, non observatione, sed reprehensione dignus. Augiæ illud stabulum non lubet expurgare, docilis enim non est, Imò scarabæo citius quid persuaseris, quàm huic homini. Et tamen, laudi nostræ invidus, ex professo audet contra nos scribere ea quæ non tam ejus pueritiam, quam puerilitatem probant. Sciebam quidem nostram operam à vellicatione non tutam fore, non crediderain tamen hunc homuncionem tanta cum protervia in nos invehi voluisse. In quibus à me dissentit, ea non redarguam, cum insulsos morsus susque deque habeam, nec mihi lubeat cum pygmæis certare, ne à me istam gloriam reportet, ut mecum contendisse feratur. Causam dicit criminationis suæ, quâ in me usus est, quod non-

nonnunquam diſſenſerim à Patre ſuo, Præceptore meo, jucundiſſimæ recordationis, cum tamen & ille ipſe à Patre ſuo ſæpiſſime diſſentiat. Nec convitiis proſcindi merui ob id ſolùm, quod non ſemper mihi convenerit cum Præceptore. Turpe enim eſt, jurare in verba Magiſtri, ubi ratio aliud ſuadet. Nec ego ægre fero quod Noſter à me diverſum ſentiat. Sicuti enim videmus paſſim in Pandectis, non tantùm Caſſianos & Proculeianos, contrariæ Scholæ auctores, ſæpe eadem ſentire; Ita è contrario qui ejuſdem ſectæ ſunt, non ſemper idem reſpondiſſe. Sic *in l. 10. ff. de negot. geſt.* Proculus & Labeo diverſæ ſententiæ ſunt, & Celſus Labeonis ſententiam eleganter deridet. Intra tamen modeſtiæ repagula. Quam autem ego honorificam fecerim ſummi iſtius Præceptoris mei mentionem, etiam cum ab ejus opinione ſeceſſi, paſſim, & palam teſtatum feci. Miſellus verò noſter, qui vult pollere memoriâ, dum mihi in paucis à patre ſuo, cum ratione, diſſentienti, inhumanè convitiatur, in omnibus oſtendit, ſe oblitum paternæ Orationis, quam meo tempore habuit, *de Modeſtia Veterum Juriſconſultorum.* En ſpecimina. Pag. 339. *obſervationum, quaſi judicatarum*, in hæc verba prorumpit. *Mirer an non mirer te, ac tuum judicium,* ὦ Μουσῶν κλέος *haud equidem ſatis ſcio. Certum eſt tamen,* & ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ πράσσειν ἐτόλμας, *velis*

nolis hoc dicam, & si dicam, assentientur, quibus æquitas cordi est, studio contradicendi, & ubique impegisti, & hoc loco tam turpiter, dum vellicandi præceptoris captasti occasiones, & quidem summa cum injuria, & ut gratum te ostenderes, & videreris eo doctior. Sed, O, quem te appellem! Convitia enim non didici. Quæso desine, desine. Pag. 27. *Quid amabo, te stultius.* Pag. 51. *Nescio sanè cum hæc scriberet, quid egerit Vir doctissimus, aut ubi tandem ejus mens.* Pag. 54. *Sed quicquid sit, sine dubio mentem aliis vir doctus, cum hæc scriberet, distraxit, aut fuit forsan in patinis.* Vide porro aculeatam hominis mordacitatem *pag.* 307. *Ita argumentatur Christ. Rodenburgius, quem vocat virum excellentissimum Abrah. à VVesel.* Et id genus centum. Quæ anus morosa ineptiora effutire posset? Non attinuisset hujus hominis mentionem facere, nisi nudus Professoris titulus mihi obstitisset, & quidem in ea Academia, quæ solet esse ferax doctissimorum Virorum, alioquin solo contemptu eum vindicassem. Cæterùm quam pronus ille jam dudum ad conviciandum fuerit, patet ex iis quæ contra mortuum Wassenarium nostrum scripsit. *in comment. ad Instit. Justin. §. 6. de nupt. n. 7. pag.* 326. cum ait, *sed dissentit nihilominus, his non obstantibus, rapsodus, & compilator ille Gerardus à VVassenaer.* Et rursus *pag.* 332. *Non est ausus id dicere Musarum ἀπόγονος.* Item *pag.* 334. *Miror eundem*

eundem illum, quem dixi, Gerard. à VVassenaer cervice tam tumidâ gloriosè jactare. Pergit; *Id ignorare non potuit, cum edictum annis septendecim ante praxin ejus judiciariam in lucem prodierit. Quod si ignoraverit, supinam istam ignorantiam excusare quis poterit? Sed aut ignoravit, aut si ignoraverit, dissimulavit, & præfractè contempsit, quo nihil indignius. Nemo tamen nimis id mirandum existimet. Plura sunt ejus vitia, & vel centum sunt leges, quas adduxit in eo opere, quæ tantùm ad rem faciunt, quantùm sus ad Minervam. Laudent eum formularii, & Judices rustici. Ad doctos id nihil attinet. Verùm ohè jam satis est.* Vide os inurbanum, imò hominem, omnis humanitatis inopem. Vide larvam umbratilem cum mortuo luctantem! Jam ante præmonui me nolle cum tali ingenio conflictari, sorex enim jam dudum se ipsum prodidit; ne tamen queri possit, se solâ præteritione esse notatum, en tibi, benevole Lector, ex innumeris, pauca ejus insulsitatis documenta. Scripseram *in tract. meo de connubiali bonorum societate n.* 76. Quod alluvionis incrementa non sint fructus inter conjuges dividui, verùm terram accretam esse fundi partem, & consequenter ejus esse, cujus fundus est. Pugil noster ait *observ.* 4 *n.* 43. me ineptè locutum, dum verbis usus sum *alluvionis incrementa, id enim nihil aliud esse, quàm si dicerem alluvionis alluvio.* Verùm in eo ostendit, quàm turpiter se misceat rei, ad se non per-

pertinenti. Loquebar de fundo ab uno ex conjugibus in matrimonium allato, qui augebatur alluvione; cum autem ante nuptias quædam portio terræ accrevisset, crevit porro quoque, stante matrimonio, ista alluvio; in disputationem collatum erat, sitne ea nova alluvio (quam ego, incrementum anterioris nominaveram) in fructu, an propria domini fundi. Definiveram, secundùm dominum. In quo, quanquam à nobis diversum non statuit, non tamen probè intelligit statum quæstionis, qui est de alluvione, quæ stante matrimonio incrementum sumpsit. Nec aliis verbis usus est Celeberrimus D. Antonius Matthæus, Præceptor noster, & pater hujus audaculi, dum parœmia 2. n. 26. ait. *Alluvionum verò incrementa non comprehendimus appellatione fructus.* Alvar. Valasc. *tract. de jur. Emphyt. quæst.* 16. quærit. *An augmentum, vel incrementum alluvionis accrescat emphyteutæ, vel directo domino.* Freder. à Sande *de feud. Gelr. tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. ait. *De alluvionum incrementis loci admodum incerti, & invicem pugnantes in libros feudisticos congesti sunt —— moribus nostris hæc incrementa ad vasallum eodem cum ipso feudalis prædii jure spectant.* Fachin. *lib.* 2. *controv. cap.* 7. quærit. *Re venditâ cum pacto redimendi, incrementum alluvionis an pertineat ad eum qui redimit, an ad eum qui revendit?* Dionys. Gothofred. *in not. ad l.* 3. *Cod. de Alluvion. lit. I. dicit.*

Allu-

Alluvionis incrementum per se non est censendum, sed unum corpus cum eo cui cohæret judicandum. Iisdem verbis loquitur Fred. Martin. *de jur. Cens. cap.* 6. *n.* 59. Passim Bapt. Aym. *de Alluvion. lib.* 2. *cap.* 7. 9. *& seqq.* Itaque nulla ratio est, quare hic mus hoc ferrum rodere audeat. Post has exquisitissimas ineptias *eâd. observ.* 4. *n.* 44. prosequitur mea his verbis commendare. *Verùm multa ejusmodi occurrunt in eo opere, quæ & frigent, ut verum dicam, & parum etiam cohærent, ut, verbi gratia, cum quærit, an veniat in communionem etiam jus patronatus.* Pergite Pierides. *Verùm eo non obstante VVesel id nihilominus in communionem admittit.* Ecce corculum Professorium, ecce lepidum caput! *Primò*, inquit, *nego jus patronatus non exemptum commercio. Est exemptum. Emi vendi non potest, ut est textus expressus in cap. de jure extra de jure Patron.* Audi gallum ex sterquilinio cantantem! Quæ ego, usitatâ hodiernâ praxi, contra dixeram, *hæc* ille, *pag.* 323. ait, *nihil aliud sunt quam nugæ, gerræ, apinæ, flocci, & si quid vilius istis.* En furorem, & plebejam scurrilitatem! Hunc ego nugatorem, gerronem, cum vilissimis suis quisquiliis floccipendo, convitiis enim non irascor. Summa nugarum ejus huc redit, *quod jus Patronatus per se & principaliter non possit vendi, posset tamen ut annexum & accessorium castri, si id veneat universum.* Pergit, *Nec credo quenquam tam stultum*

ut

ut id putet in commercio, quod poteſt vendi ut acceſſorium. Nam & res religioſa, quamvis non ſit in commercio, ut norunt etiam tyrones, ut acceſſorium poteſt vendi —— Sepulchrum per ſe emi vendi non poteſt — Sed poteſt unà cum prædio. Putaveram hominem jam modò ſepulchrum ſine prædio emiſſe, quod ei, receptis, inter Reformatos, moribus, licuerat. Grotius *lib.* 2. *Iſag. part.* 1. *n.* 24. Groenew. *ad* §. *nullius.* 7. *Inſt. de rer. diviſ.* Leeuwen *in cenſ. forenſ. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 14. Quod autem ille Orthodoxæ fidei Profeſſor, ad ſuum religioſum, & ſepulchrale argumentum comprobandum, ex Jure Canonico adſtruere audet ea, quæ purior religio antiquavit, id ferendum non eſt in eo qui etiam practicè cornicari cupit. Verum uſque quaque patet, ei perinde eſſe quid effundat, ſi modò mihi oggannire poſſit. Satius fuiſſet, ſi hic homo, negotiis noſtris, & quæſtionibus forenſibus, quin imò tractandis rebus in Reviſionis judicio judicatis, ſeſe nondum ingeſſiſſet; verùm primò didiciſſet principia juris, quæ tamen alios docere aggreditur. Quis enim non eleganter derideat illud venuſtum principium quod habet *obſerv.* 36. *rer. judicat. à ſupr. Ultraj. Reviſ. conſeſſ. n.* 1. 2. 3. *Teſtamenti factio*, inquit, *eſt duplex, activâ, & paſſiva —— Activam habent qui poſſunt facere teſtamentum —— Paſſivam verò illi qui poſſunt inſtitui —* Hæc quidem vera ſunt, & tyronibus nota, verùm

non

non digna, quæ auſpicentur obſervationem de lite in conſiſtorio Principis acta. Quod autem *n.* 4. *ibidem* ait. *Poſſunt autem inſtitui, qui expreſſe non prohibentur, ut ſunt filiifamilias, deportati, peregrini, furioſi, prodigi, & quicunque non habent civitatem Romanam*, id non tyrone, nedum Profeſſore, ſed ferulâ dignum eſt. Quis enim fando audivit, ut ſicuti Filiifam, furioſi, & prodigi, hæredes inſtitui poſſunt, ita etiam deportati, peregrini, & quicunque non habent civitatem Romanam? Hæc enim omnia impingunt in ipſa Principia juris, quæ dictant cum ſolis civibus Romanis teſtamenti factionem eſſe. Id intelligimus ex primo, & ſecundo capite legis Falcidiæ, quæ extat in *l.* 1. *ff. ad leg. Falcid.* Peregrini quoque in uſu juris ii dicuntur qui Cives Romani non ſunt. *l. ſed ſi* 6. §. *ſolemus* 2. *ff. de hæred. inſtit. l. ſed ſi hac* 10. §. *ſed ſi per pœnam* 6. *ff. de in jus voc.* Quare videmus deportatos, & peregrinos diſertè declarari incapaces hæreditatis, eo quod jura Civitatis Romanæ amiſerint. *Qui* (ait Imperator Titus Ælius *in l.* 1. *C. de hæred. inſtit.*) *deportantur, ſi hæredes ſcribantur, tanquam peregrini capere non poſſunt, ſed hæreditas in ea cauſa eſt, in qua eſſet, ſi ſcripti non fuiſſent.*

Poſt deliramenta hominis vide quæſo ejus malignitatem, & impudentiam. Præmiſſa enim ejus aliam conſequentiam habere non poterunt.

Qui

Qui namque semel verecundiæ fines transierit, eum benè & naviter oportet esse impudentem. (scribebat Cic. *Lucceio lib. 5. famil. epist. 12.*) Cum præfatum meum *de Connubiali Bonorum societate, & Pactis dotalibus* commentarium ederem. Urbs & Provincia nostra à Gallo milite occupata erat, in mœrore & squalore tota: quare nulla commoditas affulgebat, hîc eum edendi. Itaque cum Amstelodamum cupido Typographo schedas meas amandassem, qui curam correctionis, editionis speciminum typothetarum in se susceperat, factum est, ut quædam menda clam me irrepserint. Indiculum amanuensis meus conjecerat in calcem libri, qui cum non omnia sphalmata contineret, rogavi benevolum Lectorem, ut incorrecta menda per se corrigeret. Ille nasutulus cum tria vitia Typographica animadvertisset (ut profiteri vellet se contra me potissimum dentatas suas chartas conspurcasse) me in hunc modum alloquitur, *sed quid quæso, Vir Clarißime, est illud alteri tanti? An alterum habet alteri in casu gignendi? Vide quorsum tandem evasura sit hæc nova Latinitas. Sed relegemus illud, alteri, ad illud extus, in præfat. Et utrumque sine mora præcipitemus in barathrum ad semidoctos & barbaros.* En Pædagogum, imò Professorem declinantem cum genitiva nota! Puto satis constare me eo latinitatis pervenisse, ut tali hypodidascalo non indigerem, & tamen contra con-

ſcientiam mihi audet exprobrare ſphalma Typographicum in iis verbis, quibus vel ſexcenties aliter uſus fueram. Pergit. *Nec quiſquam id miretur. Sunt & alia id genus, & ſeges eſt ſatis ampla. Sed miſſis his pergamus.* Quaſi verò ille ſycophanta voluiſſet adhuc tegere errata quædam mea, quæ vitio mihi dari poſſent, cum omne virus acerbitatis ſuæ jam modò in me evomuiſſet. Indicanda reſtat jocularia homuncionis malitia. Typographus *tract. 2. cap. 4. pag. 245. lin. 31.* pro *diſſociationem* (quo verbo *eodem cap.* paſſim uſus fueram) impreſſerat *diſſocietationem*, arrepſit ilico plumbeus ille pugio *pag. 356.* maledicendi occaſionem, dum repetit verba mea, unà cum errato Typographico. *Verius eſt*, inquit, *eam tranſactionem operari diſſocietationem (nova certa vox, & mihi hactenus inaudita, ſed remittatur ad illud extus, & illud alteri tanti.)* Vide hominis dolum malum. Amanuenſis enim meus iſtius ſphalmatis Lectorem jam admonuerat, cum *lin. penult. erratorum* rogat, ut pro *diſſocietationem* legat *diſſociationem.* Quorſum tandem calumnia! inviſum meritò bonis vitium, quod homini noſtro ſe ipſum eripuit. Si jure meo cum illo vellem agere, audiret minus jucunda auditu, nondum tamen adducor ut faciam, ob jucundiſſimam Parentis, Magni iſtius Viri, Præceptoris quondam mei, memoriam. Si tamen pergat dicere quæ vult, ea quæ non vult audiet.

Defunctus jam ſum, nihil eſt quod dicat mihi.
Is ne erret moneo, & deſinat laceſſere,
Habeo alia multa quæ nunc condonabitur,
Quæ proferentur poſt ſi pergat lædere
Ita ut facere inſtituit. Dicebat Comicus.

Sed quis crediderit, illum calumniæ abſtinentiam à ſe impetrare poſſe? Geſtit enim inſultare omnium capitibus, quaſi auctoratus ad has pugnas. Hæc omnino dicenda erant, Benevole Lector, contra malevolum, maledicum, & maleſanum Obſervatorem, dicam an Obtrectatorem. Vale.



Viro

Viro Eminentissimo,
ac Doctissimo
D.D. ABRAHAMO à WESEL,
Curiæ Ultrajectinæ
ADVOCATO FISCALI
Dignissimo, Facundissimoque.


Agne Vir, horrendo dum tristia bella tumultu
Mars gerit, & nostras frangit iniquus opes;
Et Siculis dum flos emergit liliger undis,
Iamque Mari, & terra, Gallia dira tonat;
Totque ruinosæ feriunt confinia Flammæ,
Totque fugit patrios Fœmina, Virque Lares;
Impia dum tetris vexat conatibus Orbem
Ambitio, vulgi tartareusque furor;
Tu pia tranquillo pervolvis Jura labore,
Pingis & edocta singula fata manu.
Victores fera bella juvent, Martemque, tubasque
Miles amet, spolium Celta cruentus amet.
Tu miseris solamen habes, Mercede remissâ,
Quam mala persolvi publica posse negant.
Si perdit Bellona ferox, violatque, nocetque,
Undique si Rheni flebilis unda gemit;

Hic tua tot lapsis prodest clementia rebus,
Nec patitur cives civibus esse lupos.
Presserunt dominos, presserunt bella colonos,
Mox satis ambigui juris utrimque fuit:
Sed quis adhuc dubitet? Tu lamentabile damnum
Æquali gaudes distribuisse modo.
Quæ statuunt Proceres, Tu faustis ista tueris
Iura patrociniis, ponderibusque styli.
Perge: serenato redeunt fælicia cœlo
Tempora, scribenti mitior aura venit.
Hactenus adversis læsa est Respublica telis,
Et sterilis bello terra, Ceresque fuit.
Hactenus effractis perierunt prata, bovesque
Aggeribus, vigilans agricolæque labor.
Accelerat placidus jam pulsis nubibus æther,
Signaque sidereus dat meliora Polus.
Paucis multa loquar, dum stabit machina mundi
Posteritas calamum tollet ad astra tuum.

G. PLOOS van AMSTEL.

Ad

Ad Virum Amplißimum Consultißimumque

D. ABRAHAMUM à WESEL,

Fiſci Provinciæ Ultrajectinæ,

Atque

Ordinis Equeſtris Advocatum facundiſſimum,

Cum ſolidioris doctrinæ

TRACTATUM

DE

Remiſſione Mercedis,

Hiſce temporum fatis convenienter in lucem ederet.

VIcture in ævum, ad alta nate VESELI,
Flos ô Virorum, & Ulpiane Belgarum,
Umbone legum mille *Miles Armate*,
Miles Togate Patriæ meæ Patrum,
Equeſtriumque vox Patrona Magnatum,
Vox buccinatrix Patriæ ſtatutorum,
Vindex iniqui, ſontium gravis terror;
Te dum tuarum tot canunt tubæ laudum,
Canamus unà. Fallor? An celer cœlum,
Ferire viſus iſte clangor Aſtræam
Terris reducit, læta dum Sacerdotem
Suum, ſimulque ſeſe honoribus tolli

Audit novellis? Nuper & novellarum
Tot ſanctionum interpres, & thori leges
Qui ponderabas ſcriptor, en! fori Titan
Novus reſurgis, juris Os, & Aſſertor,
Magne æquitatis æſtimator, & juſti
Oculate cuſtos, virgulâque Cenſoris
Potens Medela, luce ſi quis in clarâ
Se fallat errans, aut ſequatur errantes,
Cæcuſque cæcos; Arge perſpicax veri,
Suadæque proles, heluoque librorum,
Quos ruminando vertis utilem in ſuccum.
Mandaſſe menti ſic ſcientiæ ſemen
Salubre juvit, ut ſcientiæ fructus
Fundas per Orbem, Copiæ velut cornu,
Civiſque civi non inutilis vivas.
Doctrina laudem ſi meretur, hæc ſumma eſt,
Donaſſe luce publicâ, Virorumque
Peperiſſe in uſum grandis ingenî fœtum,
Cerebroque quicquid doctiore conceptum
Naſci decebat, nec latere, ſed noſci.
Parente tali fœtus hic palam prodit,
Totus nitore plenus elaborato,
Quem, Matris inſtar, dum tuetur, & ferre
Aſtræa ad aſtra ſe ferens, velit ſecum,
Non cenſor auſit Zoilus flagellare,
Non rodere auſit ipſe dens Theoninus.
Hic quos bibebas, *Magne Vir*, tui juris
Fontes, Quiritum regulas, Patrum quondam
Reſponſa, promis, & recocta, noſtroque
Aptata

Aptata donás Belgio, Latinisſinum
Tecum colenti, Tu VESELII nomen
Tuis in auro fige poſtibus, *Fama*,
Quem jam Patronum pro clientibus ſtantem
Palàm ore vivo, jam tot aureis chartis
Docere, doctos quod latebat, hoc tanto
Doctore quiſquis eruditur, agnoſcit.
Vivat miſellos qui tuetur, ac preſſis
Rapaci ab hoſte, caſuumve ſub mole
Durâ, dolendâ, ſive ventus atque unda
Rupére ripas, ſive vermis, aut grando
Meſſem peremit, jure mitis eſt æquo;
Atque *æs remittit*, quod locator expoſcit,
Qualis cruorem hirudo dum ſitit ſanum
Affixa venis hæret, inſtat, urgetque.
Vivat volumen gratius gregi agreſti,
Quam tot Maronis ſunt Georgici verſus,
Qui debitorum neſciunt laborantûm,
Atroque ruri victitantium pane
Levare curas, *Solve*, dum rigor clamat.
Famæ columnis, poſtibuſque manſuris
Subſcribet illud annuens Themis Virgo;

QUI.LUCUBRANDO.FAS.REDUCIT.IN.LUCEM.
LATEQUE. JURIS. FLORIBUS. BEAT. TERRAS.
HUNC.LAUDE. FAS. VESELIUM. VEHI. CÆLO.

L. vande POLL.
Prof: Ultrajectinus.

AD VIRUM AMPLISSIMUM, AC ERUDITISSIMUM, MIHIQUE CONJUNCTISSIMUM

ABRAHAMUM VESELIUM,

Cum dissertationem de

REMISSIONE MERCEDIS

ederet.

Ἄχθεα κουφίζεις ταλάνων, μάκαρας δὲ ἀέξεις.
Ἰθείας θέσμους, καὶ νεφέλας σκεδάεις.
Πλούσιος ἠδὲ πένης σέβεταί σε φιλεῖ τε, στέφεσι
Δίκη δ' ἀχράντοις σεῖο δέει κροτάφους.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT. I.

VIII.

De Colono partiario, emptore fructuum, & decimarum.

IX.

De remissione usurarum, hypothecariis, vel etiam chirographariis debitoribus facienda, vel non.

X.

De canone emphyteutico, ob sterilitatem, vel bellum, remittendo.

XI.

De contractibus tempore belli initis.

XII.

Conductor ob causam belli damnum passus, exonerationem solummodo mercedis, non id quod interest consequitur, nisi culpâ locatoris damnum evenerit.

XIII.

Bellum non infringit contractus antea factos.

ABRA-

ABRAHAMI à WESEL, JC.

TRACTATUS DE

REMISSIONE MERCEDIS &c.

CAPUT PRIMUM.

De remissione mercedis, quæ inquilinis conceditur propter ædes ob bellum desertas.

SUMMARIA.

1. V*Is major non nocet conductori.*
2. *Oportet rem conductam præstari, ut eâ uti frui conductor possit.*

3.4. *Refellitur Grotii sententia.*

5. *Occasio scriptionis Auctoris indicatur.*
6. *Domum conductam deserens, ante tempus, tenetur Domino ad id quod ejus interest.*
7. *Justa migrandi causa est belli calamitas.*

8. *Propter bellum deserens domum, tenetur solummodo ad mercedem pro rata temporis.*
9. *Anticipatè soluta merces, propter bellum, repetitur.*
10. *Belli metus sufficit ad migrandum.*
11. *DD. Ordinum Ultrajectinorum temperamentum circa mercedis remissionem recensetur.*
12. *Cujus ratio redditur.*
13. *Etiam ob bellum profugus extra culpam non est, respectu locatoris.*
14. *Oportet ædes omnino esse desertas.*
15. *Nec asservata mobilia, aut claves retentas.*
16. *Quid si dominus oblatas claves acceptare recuset?*
17. *Quid si dominus derelictam à conductore domum alteri locaverit, & ab eo mercedem pactus fuerit?*
18. *Sunt qui hanc mercedem domino addicunt.*
19. *Eorum sententia refellitur.*
20. *Post acceptum pretium, domino integrum est prædium suum alii locare in suum commodum.*
21. *Interusurium medii temporis conductor deducere potest.*

Vis


Is major non debet 1
conductori damnosa
esse, si plus quam tolerabile est, læsi sint fructus. *l.* 25. §. 6. *ff. locat.*
Generalius Servius ait, omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere. Itaque remissionem faciendam ob sterilitatem, vim fluminum, graculorum, sturnorum, hostium, terræ motum, uredinem, aliosve casus fortuitos. *l.* 15. *§. si vis* 2.
& seq. ff. eod. tit. Oportet enim rem con- 2
ductam præstari conductori, ut eâ uti frui possit *d. l.* 15. *§.* 2. *in fin.* quod si ei non licuerit, ex conducto actio condu-
ctori datur *d. l.* 15. *in pr.* Quare subit 3
mirari judicium Excellentissimi Grotii *de jure Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 18. qui ex illo Caji *in l.* 2. *ff. locat.* quod locatio conductio proxima est emptioni venditioni, iisdemque juris regulis consistit, infert, sicuti ergo res domino suo perit, ita naturaliter æquum esse, ut sterilitas, & alii casus, qui usum impediunt, damno

Cap. 1 ſint conductoris, nec eo minus locatorem jus habere ad pecuniam promiſſam, cum ipſe facultatem utendi tradiderit, quæ tempore contractus tantum valebat. Non enim ſola facultas utendi, ſed
4 ipſe verus, & realis uſus pecuniâ æſtimatus eſt: qui uſus ſi non eſt ſecutus, iniquum foret, conductorem pecuniam ſolvere pro non uſu. Felden. *in annotat. ad Grot. d. loc.* à cujus cenſura Graſwinckel *in ſtrictura d. l.* Grotium fruſtra vindicare conatur, uti in progreſſu latius, vel ipſo adſtipulatore Grotio, demonſtrabimus.

5 Hanc ob vim hoſtium, atque ſterilitatem, remiſſionis mercedis materiam eo uberius tractabimus, cum utrumque caſum acerbiſſimè experti fuimus. Quis enim ignorat biennalem iſtam cladem, atque labem, quam Provincia noſtra annis 1672. & 1673. per Gallorum adventum, & ferociam paſſa fuit? Quanta ſtrages, poſt hoſtium diſceſſum, inſequenti anno 1674. in principio menſis Auguſti, mirando turbine, fructibus acciderit?

Cum

——— *Cum flavis messorem induceret arvis* Cap. I
Agricola, & fragili jam stringeret ordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi,
Quæ gravidam latè segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent. ——— Virgil. *lib.* 1. *Georg.*

Ventus enim vehementissimus, versatilis, & se contorquens (cui similem vix quisquam meminit aliàs extitisse) cum fragore maximo, objecta, & obvia quæque deturbavit, turres, templa, & quamvis firma ædificia convulsit, ac dejecit, omnemque fere segetem, jam tum maturam, & ad demetendum aptam, prostravit, ut nescias, utrum vis hostium, an ventorum, majus damnum attulerit.

Agamus primò de inquilinis, qui ob 6
metum adventantis hostis domos conductas deseruerunt, atque hostem aufugerunt. Illud jure cautum est, ut *qui contra legem conductionis domum ante tempus, sine justa ac probabili causa, deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri possit, quatenus locatoris, in id quod ejus interest, indemnitas præstetur.*

Cap. I Verba sunt JC[ti] Pauli *in l.* 55. §. *fin. ff. locat.* Mev. *ad jus Lubec. lib.* 3. *tit.* 8. *art.* 2. *n.* 50. Grotius *lib.* 3. *Isag. part.* 19. *n.* 46.

7 Inter justas causas belli calamitas est. De eo sic definit JC[tus] Ulpianus *in l.* 13. §. 7. *ff. eod. tit. Exercitu veniente migravit conductor, deinde hospitio, milites fenestras, & cætera sustulerunt, si domino non denunciavit, & migravit, ex locato tenetur* —— *Sed & si denunciare non potuit, non puto*

8 *eum teneri.* Itaque hoc casu conductor, domum deserens, non in plus tenetur, quam ad mercedem pro rata temporis, quo habitavit. Bossius *tract. de remiss. merced. n.* 52. *in fin.* Mozzius *tract. de contract. tit. de accident. locat. n.* 5. Gail *lib.* 2. *observ.* 23. *n.* 6. Carpan. *ad statut. Mediol. tom.* 2. *cap.* 394. *n.* 359. Costa *de quota & rata quæst.* 141. *n* 8. Mevius *d. art.* 2. *n.* 51. Bouvot *en ses arrests tom.* 1. *part.* 2. *verb. bail à ferme, quæst.* 1. *& tom.* 2. *tit. eod. quæst.* 57. Ad-

9 eo ut si conductor mercedem anticipatè solverit, indebitum repetere possit, uti de-

deciſum referunt Stephan. à Sanct. Jo- Cap. 1
anne *deciſ.* 76. Ant. d'Eſpeiſſes *tom.* 1.
tit. du Louage ſect. 4. *n.* 11. Nec præciſè 10
requiritur, ut Hannibal ſit ante portas,
ſufficit juſtus belli metus, & cauſa cur
periculum timeret, *l.* 27. *§.* 1. *ff. eod tit.*
l. 49. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.* Boër. *deciſ.*
249. *n.* 6. 7. Caroc. *tract. Locat. part.* 4.
quæſt. 18. *n.* 16. Pantzſchman. *pract.*
quæſt. part. 1. *quæſt.* 2. *n.* 5. Valaſc. *de*
jur. Emphyt. quæſt. 27. *n.* 13. *verſ. Rurſus*,
Coſta *d. n.* 8. Acac. de Ripol. *var. reſo-*
lut. cap. 12. *n.* 125. Etenim *pejor eſt bello*
timor ipſe belli. Seneca. Hinc ait Cicero
pro leg. Manil. Cum hoſtium copiæ non longè
abſunt, etiamſi irruptio nulla facta ſit, ta-
men pecora relinquuntur, agricultura deſe-
ritur, mercatorum navigatio conquieſcit,
ita neque ex portu, neque ex decumis, ne-
que ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt,
quare ſæpe totius anni fructus uno rumore
periculi, atque uno belli timore amittitur.
Noſtras legiſlator rem aliter temperavit, 11
ſtatuitque, ut cives, & incolæ, omnium
hujus Provinciæ civitatum, qui condu-

Cap. 1 ctas domos inhabitaverunt, deſerue-
runt, hoſteſque aufugerunt, dimidiatam
mercedem ſolvant, à die occupatæ, uſ-
que ad diem derelictæ Provinciæ *Edicto*
12 23. *Iunii* 1674. *art.* 3. Quâ ratione ali-
quatenus ſubvenit Legiſlator damno
domini ædium, per derelictionem con-
ductoris lato; vidimus enim ædes vacu-
as ſtatim hoſtibus pro ſtabulis, imò lu-
panaribus ceſſiſſe, & interiora ferè om-
nia direpta, & convulſa fuiſſe, quibus
poſtea reficiendis immodica pecunia o-
13 pus fuit. Quamvis ergo conductor,
qui, Ordinum edicto obtemperans, ho-
ſtem aufugit, juſtè faciat, negari tamen
non poteſt, quin, diſceſſu ſuo, locato-
ri non leve damnum intulerit, ut eate-
nus extra culpam non ſit reſpectu ejus,
cum quo contraxit, dum conventa non
adimplevit. Corneus *vol.* 2. *conſ.* 22. *n.*
22. Quare iniquum eſſet, ſi à mercedis
præſtatione planè immunis foret.

14 Ut autem profugus beneficio dicti
ſtatuti, atque adeo exoneratione mer-
cedis gaudere poſſit, neceſſe eſt, ut ædes
omni-

omninò deseruerit; cæterum si habitatione aliquo modo usus fuerit, tenebitur integram mercedem solvere, etsi migraverit. *l.* 28. *ff. locat.* Puta si in ædibus mobilia sua reliquerit, vel claves retinuerit. Boss. *d. tract. n.* 46. Mozz. *d. tit. de accident. locat. n.* 49. Caroc. *d. quæst* 18. *n.* 81. Pantzschman. *d. tract. quæst.* 18. *n.* 81. Carpan. *d. cap.* 394. *n.* 4. *&* 373. Charond. *liv.* 7. *resp.* 76. D'Espeisses *d. n.* 11. *vers. ou que pendant.* Quod si dominus oblatas claves acceptare recuset, eas apud Judicem, vel mandato Judicis deponere debet conductor, ut se liberet. Pantzschman. *d. tract. quæst.* 2. *n.* 42. Carpan. *d. n.* 373. Acac. de Ripol. *var. resol. cap.* 12. *n.* 200. *& seq.* Cancer. *var. resol. part.* 3. *cap.* 6. *n.* 86. *& seqq.* Hect. Capyc. Latro *decis. Neapol.* 162. *n.* 42. Carpzov. *part.* 2. *decis. illustr.* 136. *n.* 15.

Cap. 1 / 15 / 16

17 Quid si dominus derelictam à conductore domum alteri locaverit, majoris damni vitandi causâ? Id quod sæpius apud nos factitatum fuit, ut dominus receperit in vacuas suas ædes, ruri de-

Cap. 1 gentes, & in urbem profugos, dum ob grassantem militem in agro se continere non poterant, à quibus nonnihil mer-
18 cedis pactus fuit. Et dicendum videbatur nihilominus conductorem priorem ad integram pensionem obligari; non enim locator tenebatur pro desertore alium conductorem procurare, sufficit quod usum præstiterit, & patientiam, quodque prior conductor continuò habuerit licentiam ingrediendi, & inhabitandi domum conductam: quod si non fecerit, aut sollicitus non fuerit de alio conductore inveniendo, non ægrè ferre debet, quod ipse dominus alios adscititios, quam Gallos hospites in domo sua morari maluerit, quodque, eâ occasione, intermedium aliquod lucellum consecutus fuerit: ut propterea primus conductor ab integra mercede promissa liberandus non sit. Etenim jure constitutum est, *si domus, vel fundus in quinquennium pensionibus locatus sit, potest dominus, si deseruerit habitationem, vel fundi culturam colonus, vel inquilinus, cum iis sta-*

ſtatim agere. l. ſi in lege 24. §. *ſi domus ff. locat.* Itaque cum poſſit ſtatim, & incontinenti contra deſerentem prædium conductum agere, & penſionem ab eo poſcere pro integro quinquennio, abſque ulla conſideratione, an dominus poſtea idem prædium alii locare poſſit, non videtur referre deſertoris, quod dominus à ſecundo conductore mercedem ſui temporis pactus ſit; cum ea penſionum præſtatio totius temporis, etiam futuri, ſuccedat in pœnam derelictæ domus. Ita Paul. Caſtrenſ. *ad d.* §. *ſi domus ff. locat.* Coſtal. *ad l. ſed addes* 19. *ff. eod.* Coſta *de quota & rata. quæſt.* 141. *n.* 6. Cap.1
19 Verùm quo minus illis aſſentiar, facit, quod culpa, imò dolus conductoris facere non poſſit, ut ad aliud teneatur, quàm ut locatori indemnitatem præſtet in id quod ejus intereſt, uti JCtus Paulus ait *in l. dominus* 55. §. *ult. ff. locat.* Indemnitas autem non amplius præſtatur, quam ad modum & quantitatem damni lati; quare ſi dominus rem derelictam, alii, aut eâdem mercede, aut ſubinde etiam

Cap. I etiam majori, locaverit, certè hiſce caſibus nulla indemnitas debebitur ei, qui nullum damnum paſſus eſt, & cujus nihil intereſſe poteſt, cum tantundem, imò amplius, aliunde percepit. Nec enim locatorem plus conſequi oportet, quam ſi conductor non abiiſſet conductione. Quod ſi locator viliori pretio prædium deſertum alii locaverit iteratò, tum eam penſionem, quàm à ſecundo conductore accepit, imputare debet in eam mercedem, quæ ex priori conductione debebatur, bona enim fides non patitur, ut idem bis exigatur *l. 57. ff. de R. I.* non tantum ab eodem, ſed & ab alio, qui cauſam ab eò habet. Gloſſ. *in d. l. 57.* Hanc ſententiam tuentur Barthol. *ad d. l. 24. §. ſi domus.* Caroc. *d. quæſt. 18. n. 20.* Pantzſchman. *d. part. 1. quæſt. 16. per tot.* Ant. Faber *in rational. ad eand. l. 24. & §.* Grotius *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 12. n. 18. in fin.* Cyprian. Regn. ab Ooſterga *diſput. ad Inſt.*
20 *tit. Locat. theſ. 13.* Planè, cum, ut ſupra oſtendimus, locator ſtatim poſt deſer-

ſer-

ſertum prædium agere poſſit, de totius Cap. I
temporis, etiam futuri, mercede, ſi eam ſtatim quoque exegerit, non puto eum prohibendum eſſe, alii prædium illud adlocare, vel cogendum reddere quaſi indebitum, id quod poſtea acceperit: cum verum ſit & debitum fuiſſe, & ſolvi debuiſſe, atque per iſtam antecedentem ſolutionem omnis obligatio, quæ inter locatorem & conductorem interceſſerat, jam extincta, ac perempta ſit. Faber *in rational. ad d. §. ſi domus ferè in*
fin. Illud monendum reſtat, eo caſu 21
quo locator ſtatim agit ad totius temporis, etiam futuri, penſiones, deducendum eſſe interuſurium medii temporis, id eſt, quanto minus conductor ſolviſſe videretur, ſi demum ſuo tempore ſolviſſet, plus enim cenſetur habere locator, qui penſionem habet ante tempus. *l. ſi conſtante* 24. §. *quoties* 2. *ff. ſolut. matrim. l. debitor* 82. *ff. de legat.* 2°. Ita Caſtrenſis *ad d. §. ſi domus n.* 4. Faber *in ration. d. l. in fin.* Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 171. In ſimili D. Ant. Matthæus *tract. de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 22.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Extraordinario tributo à Gallis, tempore belli, imperato, in mercedem imputando.

SIVE

Diſcurſus ſuper articulo primo Edicti Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ anni 1674. qui Latinè ſonat in hæc verba.

Tributum, à Procuratore Regio Roberto, civibus, & incolis Urbis Ultrajectinæ, Novembri & Decembri 1672. imperatum, & extortum, inter dominum, & inquilinum, qui in urbe moratus fuit, dimidiatim fertor. Domo profugi à dicto tributo, & cæteris, à Gallis, imperatis, immunes ſunto.

SUM-

Cap. 2

SUMMARIA.

1. *Gallorum ferocia in tributis exigendis.*
2. *Temperamentum DD. Ordinum Ultraj. inter proprietarium & inquilinum circa illa tributa refertur.*
3. *Ejus ratio redditur.*
4. 5. *Inquilini domo profugi ab istis tributis immunes sunt, cujus æquitas examinatur.*

EX quo Galliarum Rex Provinciam nostram, itidemque civitatem occupaverat, non nisi clementiam suam erga subditos fuit obtestatus, atque affixis programmatibus cæteras Provincias ad deditionem invitavit, ut quasi duritiem anterioris regiminis expertæ, in sinum suum confugerent. Verùm cum Princeps Arausionensis suas copias Regiis opposuisset, ulterioremque transitum occlusisset, ilico experti fuimus istius gentis ferociam, ac immanitatem. Per singula ire non est instituti nostri. Annalium res est, quibus ea relinquimus. Nî omnem mili- 1

tem

Cap. 2 tem alere vellemus, imperatum tributum est ferè arbitrarium, Coactor tamen Regius asserebat pro caminorum numero se illud petere, singulis enim caminis duodecim aureos assignabat, duobus hyemalibus mensibus exsolvendos; quasi miseris atque afflictis ediceret, oleum camino addam. Nunquam tamen definire voluit, an tributum illud foret onus reale ædium, an personale inquilinorum. Siquidem enim inquilinus fugæ se dederat, à proprietario exigebat. Si proprietarius aberat, à conductore petebat. Si neuter præsto erat, vel ab amicis, vel ab hypothecariis creditoribus, imo etiam à vicinis extorquebat, cessis contra quemlibet actionibus, exclamans cum Terentiano illo, *mea nihil refert, dum potiar modo.*

2 Cumque hoc tributum ab inquilinis potissimum exsolutum esset, atque, fugato hoste, Legislator nostras prospiceret non unas lites inde exorituras, quod caminis impositum fuerit, quodque tanquam prædiarium onus inquilinus

linus in proprietarium rejicere possit, Cap. 2
huic incommodo occurrere cupiens, edixit, ut illud tributum ex æquo feratur utrimque. Quod enim dominus 3
ædium in partem tributi trahatur, hanc habet rationem, quod ei inquilinus sartam tectam domum conservaverit. Inquilinus verò ut dimidium istius tributi ferat, in ipsa habitatione consistit, cum ab habitatoribus ædium tributum pendi jusserit Regius ille Coactor, licet propter ædes. Illud 4
forsan aliquem offendere posset, cur inquilinos domo profugos Legislator nostras ab hoc tributo immunes faciat. Nonne enim satius fuerat, unà experiri infesta tempora, quæ fausta conjunctim habuimus, atque adunatis precibus à Deo efflagitare mitiora? Præsertim ubi civis militaribus oneribus & afflictionibus ferendis par erat. Quid! nonne reipublicæ intererat communibus subsidiis occurrere ruinæ urbis, neque cœtum deserere, quem communi ope tueri oportebat? Cum ergo

Cap. 2 profugus discessu suo reliquos Cives non leve incommodum creaverit, nonne rationis est, ut ille in partem tributi veniat? Erat enim onus communitatis, quod omnia ejus membra sufferre tenebantur; nec ullo jure cautum est, ut discedentes liberentur à muneribus civilibus, utque sibi consulant, & oneribus subducant, quo cæteros illis submergant gravius. Nonne illud est à societate inter Cives alienissimum? Et, quod interesse domini ædium propius concernit, nonne iniquum videtur, inquilinum, qui, fugiendo, domum conductam libidini hostium exposuit, *de quo supra cap.* 1. *n.* 12. 13. & qui pro conductione, ex Ordinum placito, non nisi dimidiatam mercedem præstat, *ut inibi quoque retulimus*, in eo adhuc sublevari, quod præfati tributi expers sit: quo proprietarius ferè omni mercede, tempore belli, debitâ, frustratus erit, cum si in urbe mansisset inquilinus, fortè illæsam planè domum conservasset, nec itidem

itidem dimidiatam tantùm mercedem, verùm etiam dimidium dicti tributi ſolvere debuiſſet, uti eodem Edicto cautum eſt? *de quo in principio hujus.* Cap.2

E contra, quis eorum non misereatur, qui, vel in ipſa trepidatione, hoſtes aufugerunt, vel inviti ſedibus ſuis expulſi, ad ſecuriora loca migrare neceſſe habuerunt, quietis amantes? Hi enim ſubitâ ſarcinularum collectione, & tranſlatione, non ſolum grave damnum circa ſupellectilem paſſi, ſed & immodico pretio, currus, naveſque conducere coacti fuerunt, ut meminerim, navem quę decem aureis antea conduci potuit, trecentis conductam eſſe in iter non unius diei. Cumque in peregrinam urbem ventum erat, primò in diverſorio morandum, mox domus conducenda fuit, inibi tributa ſolita dependenda, quibus peregrinos quoque onerare mos & fas eſt, ſi loci tutelâ & ſecuritate frui velint. Verum & illud malum profugos preſſit, quod Galliarum Rex quaſi in ſervitutem eos reclamave-

Cap. 2 rit, certo die ſeſe ſiſtendos, ſub pœna quinquaginta aureorum, in ſingulos dies ærario Regio committenda: quam pœnam ſi ſolvere recuſaſſent, demolitione, & incendio domuum, exciſione arborum, ac ſimili tormenti genere eos mulctabat. Ita domus mea, quam conductam habebam, prima omnium, propter fugam proprietarii, funditus direpta ac diruta fuit. Quo exemplo cæteri perterriti incredibilem pecuniæ vim Coactori Regio pendere neceſſe habuerunt. Itaque incivile viſum fuit, profugos denuò in tributum vocare, qui interea graviora paſſi.

CAPUT

CAPUT TERTIUM. Cap.3

De remiſſione mercedis, quæ inquilinis indulgetur ob hoſpitationes militum.

SUMMARIA.

1. *Vafrities Procuratoris Regii detegitur.*
2. *Durities hoſpitationis militum oſtenditur.*
3. *Metatorum ſumptus inter caſus fortuitos referunt nonnulli, damno locatoris.*
4. *Alii inter munera, & onera patrimonialia, damno conductoris.*
5. *Diſtinguunt alii.*
6. *Hujus diſtinctionis ratio redditur.*
7. *Gallorum à ſolito hoſpitationum ordine ſeceſſio, & immanitas.*
8. *Similis immanitatis exempla profert Manzius.*
9. *Auctor Mercurii Gallici.*
10. *Si tota domus à militibus occupata*

Cap. 3 *fuit, nihil in futurum ab inquilino solvendum est.*

11. *Nostratis Legislatoris temperamentum, circa hospitationum militatum, & incommoda refertur.* [sic: *militarium damna, & incommoda refertur.*]

12. *Simile Vismariense judicatum adfertur.*

13. *Quid si inquilinus datâ pecuniâ se à metatis redemerit?*

14. *Metatorum sumptus onus singulorum civium est, non civitatis.*

1 A profugis, & eorum mercedum remissionibus, transeamus ad Cives, qui in urbe manserunt, atque metata hostium experti, eorumque incommoda passi sunt. De his ita cavit Legislator nostras *d. Edicto anni* 1674. *art.* 2.

Inquilinis Ultrajectinæ Civitatis, cæterarumque Urbium hujus Provinciæ, qui hostilibus militibus hospitia præbuerunt, propter molestias, impensas

pensas, & damna ab iis lata, dimidiatum nummum mercedis, à die Novembris 1672. ad Novembr. 1673. debitæ, deducendi potestas esto. Soluta merces in futuram imputator. Cap. 3

Demonstremus æquitatem hujus Edicti. Primo in Diocœsim nostram hostium adventu, quo cæteræ Provinciæ ad deditionem illectarentur, milites per oppida non dividebantur, sed magnâ severitate sub pellibus suis, aut tentoriis, aut castris arctissimè continebantur. Verùm ubi à Principe Arausionensi ulterior in Patriam accessus aquâ & milite fuit obsessus, hostilis miles remissius haberi, & agere cœpit. Itaque prætendit Dux Luxemburgius per longinqua itinera ductum exercitum perpetuo sub dio haberi, noxium & periculosum esse. Tributim, & centuriatim per civitatem distribuendos esse milites, hospitiaque illis paranda, ut eorum corpora languida refocillentur. Cumque olim in bene ordinata militia constitu-

Cap. 3 tum esset, ne quis Comitum, vel Tribunorum, aut Præpositorum, aut militum nomine, salgami gratia, culcitras, lignum, aut oleum à suis extorqueat hospitibus. *l. un. C. de salgam. hospit. non præstand.* nobis è contra statim
2 injunctum est, ligna, cæspites, candelas, oleum, acetum, sal, piper, & alia ad condiendos cibos necessaria militibus præbere: hâc occasione arreptâ, quævis alia postulabant. Hos
3 metatorum sumptus inter casus fortuitos referunt nonnulli, ut eos à locatore repetere possit conductor. Rol. à Valle *vol. 1. consil. 66.* Carpzov. *part. 2. const. 37. defin. 15. & tract. de Asyl. debitor. cap. 2. n. 115.* Alii metata inter mune-
4 ra, & onera patrimonialia censent, damno conductoris expedienda: quasi ea, quæ extra hostilem incursum fiunt, & jure publico præstanda veniunt, non præstet locator, sed ipse conductor. Boss. *de remiss. merced. cond. n. 54.* Carpan. *ad stat. Mediol. tom. 2. cap. 394. n. 211.* Tabor *tract. de metat. & epidemet. part.*

part. 2. *cap.* 3. *n.* 18. Perez. *ad tit. C. de* Cap.3
muner. patrimon. n. 3. *& de metat. &*
epidem. n. 10. Alii verò diſtinguunt, in- 5
ter milites hoſtiles, ob quos adventantes conductori juſta conceditur migrandi cauſa, de quo ſuperius *cap.* 1. *n.* 7. & *ſeqq.* & noſtros, qui ad præſidium urbis miſſi ſunt: quaſi horum hoſpitandorum neceſſitas locatori non imputetur ad culpam, quo minus conductori ædibus uti frui licuerit, neque pro vi majori, caſuque fortuito, impediente earum uſum æſtimetur, ut inde exoneratio mercedis peti poſſit. Boſſ. *d. tract. n.* 52. Alciat. *conſil.* 706. Wamez. *cent.* 3. *conſ. Civil.* 74. *n.* 2.
Tabor *d. n.* 18. *&* 19. Quid enim 6
æquius, quàm his, qui pro ſalute omnium excubant, per quos aræ, focique, tecta, domuſque conſervantur, hoſpitia præbere, ut eo ad ſuſtinenda belli incommoda vegetiores reddantur? Nec milites noſtri multum nobis moleſti eſſe poſſunt, cum ſeveris edictis à vi, & concuſſione prohibeantur,

Cap. 3 tur, & metatis & epidemeticis non pro suo arbitrio, ſed ex auctoritate eorum, quibus ejus rei cura, vel à Principe, vel à Republ. ſeu Magiſtratu municipii commiſſa eſt, uti debeant, ſtipendio ſuo contenti eſſe juſſi. *l. 1. C. de metat. & epidem.* Id quod in hoſtibus ſecus
7 evenit. Illi enim, ſubactâ Provinciâ, omnia omnium eſſe rebantur, imò verò ſua ipſorum. Romanis quidem placebat, ne nimium gravarentur cives, ut domus in tres partes dividantur, quarum primam dominus domus exigebat, ſecundam miles, tertia adhuc domino relinquebatur. Plenum namque æquitate & juſtitiâ videbatur, ut cui domus aut ſuceeſſione obvenerat, aut cujus pecuniâ empta, vel extructa erat, meliorem partem ſuæ domus retineret, ab omni moleſtia, & inquietudine liberam, *l. 2. d. tit. C. de metat. in pr.* Illuſtribus autem non tertia pars domus, ſed dimidia deputari ſolebat, hâc conditione, ut alter diviſionem arbitrariâ æquitate faceret,

ceret, alter verò eligendi haberet optio- Cap.3
nem. *d. l. 2. §. Illustrioribus.* Hospites verò Galli simulac limen nostrum intrassent, integras ædes occupabant indistinctè, easque plerumque faciebant infaustas, vel scorta inducendo, pudicitiæ filiarumfam. insidiando, vel matresfam. ad adulterium tentando, affectando, permovendo, patribusfam. in angulum domus sæpe abigendo; Gratiosissimum erat, si cessione optimorum atriorum, in eorum gratiam, defungi possent Cives; renitentes, deliciarum causa, loris, ensibusque cædebant indignis modis. De quo pariter suo tempore questus est Rol. à Valle *vol.* 1. *consil.* 66. *n.* 2. & 56. Item Man- 8
zius *in patrocin. debit. decad.* 3. *quæst.* 8. *n.* 52. *& seqq.* ubi ait: *Milites passim in more positum habere, ut ab illis, ubi hospitabantur, non tantum splendidam tractationem (quam ne Principes quidem Imperii amplius habere solent) sed insuper pecuniariam collationem extorqueant: & si mihi plenè constaret, eos à quibusdam mediastinæ*

con-

Cap.3 *conditionis hominibus præter binam, & quidem lautam refectionem insuper in primordio cujusvis cœnæ talerum Imperialem, orbi impositum, rigorosissimè postulasse; & si me non lateret, in paternis meis ædibus, aliquoties in singulas hebdomadas* 100 *ferè florenos impensos, & nihilominus adhuc magnam pecuniæ summam à parente P.M. cum cæteris à communitate collatam & contributam fuisse, tamen adduci non potui, ut crederem hoc posse justè fieri, idque per textum in l. devotum* 5. §. *solam C. metat.* Refert porro idem Manzius *d. loc. n.* 55. *Lucam de Penna admodum probasse æquitatem dictæ legis devotum* 5, *sed eam ob neglectum justitiæ, peccata Provincialium & nequitiam militum malè servari.* Exclamat porro *n.* 59. *Sed ô bone Penna, quid dixisses, & quid non scripsisset tua penna, si modernos milites vidisses non tantùm luminaria petere, & alia quæ concernunt* les services *(ut Galli loquuntur, & eos imitati nostri Germani) verùm & Regiam tractationem, gratuita, splendidissimaque convivia, amplissimam pecuniæ summam? Si*

contra

contra expressam prohibitionem l. 2. C. eod. tit. non contenti tertiâ parte domus, in qua commorantur, dominum propriæ domus, (qui intrepidus, ac securus deberet habere facultatem eligendi perspicuam domus partem d. l. 2.) è suis authenticis habitationibus (ut loquitur Nov. 130. cap. 9.) id est ex iis, quas ipse paterfamilias inhabitare solet, contra expressam prohibitionem d. Nov. ejiciunt, atque exturbant, insuper verberibus, plagis, atque aliis indignissimis modis afficiunt, & tractant. Planè, qui hæc omnia, & multa alia crudelissima militum modernorum facinora plangant, sunt plurimi? sed qui corrigant, eheu quam pauci! Cap.3

Grave illud metatorum onus, ad vivum describit Auctor Mercurii Gallici *tom.* 11. *pag.* 171, dum civium Mediolanensium sortem inter alia, & hoc nomine deplorat. *Qu'il y a longues annees que Milan estoit remply des Soldats, qui sont logez dans les maisons des pauvres habitans à discretion; Qui dit discretion des Soldats, & mauvais traitement, dit sans doute* 9

Cap.3 *doute une mesme chose ; Quiconque n'a jamais esprouvé d'avoir des Soldats logez chez soy à discretion, qu'il prie Dieu de bon cœur, de mourir plutost, que de l'avoir esprouvé. Qu'il se contente de croire, que sous telle discretion les hostes perdent le bien, & l'honneur, & font beaucoup d'avoir seureté pour leur vie. Ie laisse apart leurs nouvelles inventions pour tirer l'argent ; je laisse les extorsions des Officiers, qui comme sangsues ne laissent point de veines dans ce corps d'Estat, qui ne soit ouverte : je laisse tout cela, par ce qu'au prix de loger les Soldats à discretion, je n'estime tout le reste.* Id est, *Multi præterierunt anni, ex quo Mediolanum militibus refertum fuit, quibus apud miseros incolas hospitia aßignata fuerunt.* Pergit ibidem, *Qui enunciat civilitatem militum, & dirißimas acerbitates, & oppreßiones, is, procul dubio, unam eandemque rem diverso nominis sono effert ; qui hospitationem illam militum arbitrariam nunquam expertus est, is ardenter precetur Deum, ut tempori se vita eximat, ne*

tanto

tanto malo ſuperſtes ſit. Perſuaſum habeat, ſe, ſub illo civilitatis nomine, in ſortis & honoris dubium venire, ſeque illud ſolum in lucrum deputare poſſe, quod animam trahat. Mitto novas illorum emungendi argenti tæchnas; prætereo concuſſiones Præfectorum, qui inſtar hirudinum nullam in toto Reipubl. corpore venam dimittunt, niſi inſectam & apertam. Titivilitia, imò dulcia hæc ſunt omnia, præ metatorum amaritudine. Pergamus. Cap. 3

Si tota domus à militibus occupata ſit, 10
eâ expulſo inquilino, non erit illi quicquam penſionis nomine in futurum ſolvendum, cum ob vim majorem domo uti frui non licuerit. Gail *lib*. 2. *obſerv*. 23. *n*. 5. Wamez. *d. conſ*. 74. *n*. 5. *& ſeqq*. Joan. Koppen *Jun. lib*. 2. *obſerv*. 49. *n*. 7.
Quod ſi ſub eodem tecto unà 11
cum hoſtili milite moratus fuerit, quoniam continuò explorari nequit, quantum damnum ab eo inquilinus paſſus fuerit, ſatius putavit Legiſlator noſtras amputare ſegetem litium, quæ ex hiſce controverſiis naſci poſſet, atque hâc edi-

Cap.3 edictali lege ſancire, ut præ hoſpitationis damno & incommodo, dimidium ſolummodo promiſſæ mercedis exſolveretur; ut commune utriuſque onus ſit, tam locatoris, quam conductoris.

12 Idem in Tribunali Viſmarienſi deciſum eſſe refert Mevius *part. 2. deciſ.* 90.

13 Inde quæſitum eſt, an beneficium hoc deducendæ dimidiatæ mercedis etiam iis proſit, qui quidem milites non receperunt, verùm datâ pecuniâ ſe redemerunt à metatis? Permiſſum enim erat Dignioribus, Philippo (nummus is apud nos eſt ſexaginta trium ſeſtertiorum) hebdomadatim ſolvendo, ſe metatorum moleſtiâ explicare. Et vix dubito, quin beneficio præfato gaudere debeant. Licitum enim eſt inhabitatori ædium cum eo, cui metatum aſſignatum erat, paciſci, ut pecuniâ acceptâ hoſpitio renunciet, & aliò tectum quærat. *l. 9. Cod. de metat. & epidem*: in quâ lege æquiparantur, hoſpitium eſſe præbitum metatoribus, vel iis quolibet pacto ſatisfactum. Itaque ſi is qui cum militibus

litibus pactus est, ut hospitio exeant, beneficio ante-relati edicti gaudeat, quidni gaudebit ille qui adæratione pecuniariâ, à Magistratu certis personis permissâ, ab inquietudine metatorum se liberavit? Tabor *d. tract. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. Niger Cyriac. *tom.* 1. *controv.* 154. *n.* 3. *&* 19. Perez. *ad. d. tit. C. de metat. n.* 8. Mev. *part.* 6. *decis. Vismar.* 169. *n.* 1. Scio enim multos, minori pretio metata redemisse quàm à Magistratu taxatum erat. Nec est quod locator conductori id invideat, quod milites modicâ pecuniâ excluserit foras, cum & locatori melius fuerit, eos non fuisse admissos, qui alioquin non leve damnum imò excisionem, inflammationem, eversionem, forsan tectis intulissent, uti ferè ubique contigit, ubi hi Barbari diverterunt, quod damnum ipsi domino fuisset resarciendum: Ex quibus 14
omnibus palàm est, metatorum sumptus privatum esse onus singulorum civium, ut ejus nomine contra civitatem nulla actio competat. Uti apud Vismarienses

Cap. 3

Cap.3 rienſes ſæpius judicatum eſſe tradit Mevius *part.* 3. *deciſ.* 62. *& part.* 6. *deciſ.* 171.

CAPUT QUARTUM.

De remiſſione mercedis, quam inquilinus ob ſpectra, vel peſtem prætendit.

SUMMARIA.

1. *Domum ob ſpectra deſeri poſſe multi negant.*
2. *Alii ajunt.*
3. *Interim inquilinus, pendente lite, fiduciariè condemnandus eſt.*
4. *Cum facti hæc quæſtio ſit.*
5. *An juſta emigrandi cauſa eſt, peſtis? Affirmant multi.*
6. *Negant alii.*
7. *Auctor diſtinguit.*

Quæ-

Cap. 4
1


Uæsitum fuit, an sicuti ob hostes, ita & domus deseri possit, quod spectris ea, dæmonumque ludibriis infestetur? Sunt qui id negant, quasi vanus ille timor sit, adscribendus potius sensuum perturbationi, quam certæ Diaboli illusioni, prudentes enim cum Horatio

Nocturnos lemures, portentaque Thessala rident.

Si verò cum Juvenale ajas

Esse aliquos maneis & subterranea regna,

tum si conductori occurrant larva, spectra, aut lamiæ, ex ira Dei, hisce furiis sceleratos agitantis, id suis vitiis imputare debet, illæso locatore, cum quò vergit, & migrat conductor, hanc peccatorum suorum pœnam subire possit, uti Dido Æneæ minatur

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Christianus verò contra hæc terricula-

Cap. 4 menta ſcuto fidei ſeſe armabit, acquieſcens occulto Dei judicio, etiam probos exercentis. Imò vel gentilis Cicero *lib.* 15. *Epiſt.* 16. dicebat, *Spectris etiamſi oculi poſſent feriri, animus quî poßit, ego non video*, Itaque nec veram migrandi, neque juſtam remittendæ mercedis cauſam ſpectra præbere, tradunt Choppin. *lib.* 3. *de ſacra Polit. tit.* 7. *n.* 9. *& ſeqq.* Charond. *liv.* 7. *reſp.* 232. *& en ſes memor. obſerv. verb. crainte.* Valaſc. *de jur. Emphyt. quæſt.* 27. *n.* 22. Groenew. *tract. de leg. abrog. ad l.* 27. §. 1. *ff. locat.* Verùm
2 cum non omnes Chriſtiani ſint animi tam obfirmati, infeſtationeſque poſſint eſſe adeò violentæ, phaſmata tam terribilia, ut in ædibus durare conductor nequeat, puto liberum ei eſſe à conductione recedere, ſedemque quietiorem quærere. Quis enim vellet eas inhabitare ædes, in quibus nulla nox ſine terrore aliquo tranſigatur? Legitima ergo hæc eſt emigrandi cauſa, ubi juſtus timor, nec inquilinus re locatâ liberè frui poteſt. *l. ex conducto* 15. §. 1. *l. habi-*

tatores 27. §. 1. *ff. locat.* Charondas (*ſibi* Cap. 4
contrarius) *en ſes Pandect. liv.* 2. *chap.* 32. *verſ. c'eſt pourquoy p.m.* 317. *& en ſes memorabl. obſerv. verb. Eſprits. verſ. mais pour venir. & liv.* 8. *reſp.* 77. Gomez. *lib.* 2. *var. reſolut. cap.* 3. *n.* 3. Covarr. *lib.* 4. *var. reſol. cap.* 6. *& ibi Uffel. in not.* Ferron. *ad conſuet. Burdegal. tit. locat.* §. 3. Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 16. *verſ. Et in materia, & n.* 19. Valaſc. *tract. de jur. Emphyt. quæſt.* 22. *n.* 7. Mornac. & Gothofred. *ad d. l.* 27. §. 1. *ff. locat.* Papon *in arreſt. lib.* 10. *tit.* 3. *in append. art.* 10. Acac. de Ripol. *var. reſol. cap.* 12. *n.* 141. 142. Peleus *en ſes queſt. illuſtr. chap.* 150. Tulden. *ad tit. C. locat. n.* 13. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 112. *n.* 3. Mev. *ad jus Lubec. d. art.* 2. *n.* 52. D'Eſpeiſſes *d. tit. du Louage ſect.* 5. *n.* 4. D. Ant. Matthæus *tract. de obligat. diſp. Locat. theſ. ult.* D. Gisb. Voetius *part.* 1. *diſput. Theolog. diſp. de Spectris n.* 13. *probl.* 11.
Non tamen aſſerenti ſpectra temerè 3
credendum, quin imò ſi eadem à locatore negentur, fiduciariè condemnan-

 dus

Cap.4 dus erit conductor, integram mercedem ſolvere, donec tam rari, inopinique fati certam rationem probaverit. Du Freſne *en ſon journal liv. 5. chap. 22.* Choppin. *d. loc. idem ad leg. And. lib. 3. cap. 2. tit. 2. n. 20.* Charond. *d. chap. 32.*
4 Ut verè dixerit D'Eſpeiſſes *d. loc.* in hoc ſpectrorum negotio, plus valere facti, quàm juris quæſtionem.
5 Juſtum quoque emigrandi timorem continere cauſam peſtis communius placuit Doctoribus. Covarr. *pract. quæſt. cap. 30. n. 3.* Valaſc. *d. quæſt. 22. n. 6. & quæſt. 27. n. 21.* Gomez. *d. n. 3.* Gamm. *deciſ. 73.* Mozz. *de contract. tit. de Accident. locati. n. 6.* Mantic. *de tacit. & ambig. conv. lib. 5. tit. 8. n. 26.* Fab. *in Cod. tit. Locat. defin. 2. n. 2. in not.* Mev. *ad d. art. 2. n. 52.* Tulden. *d. n. 13. & in comment. ad Inſt. tit. locat. cap. 7.* D'Eſpeiſſes *d. tit. ſect. 4. n. 11. verſ. Pareillement.* Deus enim tum bellum gerere, & iram ſuam in homines diſtringere videtur, uti cum Bartholo loquitur Carpzovius *part. 2. deciſ. illuſtr. 116. n. 12.*

n. 12. & *part.* 3. *defin. forens. const.* 4. Cap.4
defin. 14. *n.* 1. Verùm hanc causam esse 6
Interpretum, eamque in jure non extare, ac proinde non temerè recipiendam tradit Hubert. Giphan. *ad l.* 9. *Emptorem C. locat. p.m.* 335. eumque secutus Clarissimus quondam Præceptor meus D. Ant. Matthæus *d. thes. ult.* In quam rem extat pragmatica Neapolitanorum sanctio apud Matth. de Afflictis *decis.* 258. Choppin. *de Doman. Franc.*
lib. 3. *tit.* 13. *n.* 7. *in fin.* Non displicet 7
tamen aliorum judicium, ut si pestis brevi tempore duraverit, nulla, ejus nomine, concedenda sit remissio, sin verò diuturna ea fuerit, remittendæ mercedis ratio sit habenda, cum & hæc justa inquilini querimonia sit, ob casum fortuitum ædibus liberè uti frui non licuisse. Ita Ulpiani lege *Etiam in fundo.* 49. *ff. de Ædilit. edict.* pestilentis domus justa est redhibitio, venditionisque ipsius rescissio. Gail *lib.* 2. *observ.* 23. *n.* 7. Christin. *d. decis.* 112. *n.* 2. Busius *ad l.* 15. §. 4. *ff. locati n.* 8.

Cap. 5

CAPUT QUINTUM.

De remiſſione colonis facienda propter ſterilitatem.

SUMMARIA.

1. *Quanta debeat eſſe ſterilitas ut propter eam remiſsio ſit concedenda?*
2. *Plurimis placuit ut tum demum ob læſos fructus remiſsio detur, ſi jactura dimidiatam mercedem ſuperet.*
3. *Auctor hanc remiſsionem arbitrio judicis relinquit.*
4. *Id quod DD. Ordd. hujus Provinciæ placuit.*
5. *Idem apud Gelros ſancitum eſt.*
6. *Conductor apud nos non condemnatur fiduciariè ob mercedes tempore belli, vel ſterilitatis, annis 1672. & 1673. debitas.*
7. *Regis Hiſpaniæ edictum in Provinciis Belgicis recenſetur.*

8 Regni

8. *Regni Hispaniæ mos circa remißionem, ob sterilitatem, faciendam.* Cap. 5

9. *Nostratis Legislatoris placitum.*

10. 11. *Si in plures annos locatio facta sit, compensanda erit sterilitas cum ubertate, quæ interea temporis contigit.*

12. *Nisi conventum sit, ut singulis annis ob sterilitatem, vel aliam labem remißio concederetur.*

13. *Quid si ubertas magna præcesserit?*

14. *Quanta debeat esse ubertas, ut exinde compensationi cum sterilitate locus sit, relinquitur arbitrio judicis.*

15. *Quid si dominus, ultimo anno, propter sterilitatem fecerit remißionem mercedis, sciens ubertatem priorum annorum?*

16. *Compensatio ubertatis cum sterilitate non admittitur, si remißio facta sit ob clades bellicas.*

17. *Auctor opinatur compensationem sterilitatis cum ubertate non convenire moribus nostris.*

18. *Id quod praxi Gallicâ confirmatur.*

19. *Insolita fertilitas colono invidenda non est.*

Cap. 5 20. *Etiamsi nullâ majori culturâ coloni, sed Dei providentiâ acciderit.*
21. *Modicum damnum colonus æquo animo ferre debet.*
22. *Quid si fructus modici fuerint, sed adeò cari, ut ex iis pensio solvi potuerit?*
23. *Sterilitas unius speciei, cum aliarum fertilitate compensatur.*
24. *Quid, si primus conductor partem prædij alteri sublocaverit, atque in hac parte sterilitas suborta fuerit?*
25. *In remissionis materia requiritur sterilitas fructuum, nec attenditur pretij vilitas.*
26. *Oportet ut sterilitas contigerit casu fortuito, non vitio ipsius rei.*
27. *Vel culpâ ipsius coloni.*
28. *Quo casu remissio non datur.*
29. *Sicuti non conceditur colono, qui prædium omnino non coluit.*
30. *Gelrorum edictum refertur.*
31. *Id tamen ad tempus belli non videtur extendendum.*
32. *Quid si inundatio mense Junij conti-*
ge-

gerit, an colonus iteratò ſeminare debet? Cap. 5

33. *An Dominus hoc caſu colono ſemen ſuppeditare tenetur? Affirmativa ſententia refertur.*

34. *Refellitur.*

EAmus rus, & ad colonos, quibus propter ſterilitatem, inundationem, vel bellum remiſſio facienda eſt. Et quidem ſterilitatis materiam, primo loco, in genere tractabimus, deinde particulatim veniemus ad labem, quæ ex bello, & inundatione oritur. Ubi ſtatim occurrit ea inſpectio, quanta debeat eſſe ſterilitas, ut hinc remiſſio concedenda ſit. Non lubet recenſere varias hac de re Doctorum ſententias, nec operæ pretium eſt in iis refellendis, fuit ille labor Pantzſchmanni *d. tract. quæſt.* I. *& ſeqq.* Valaſci *de jur. Emphyteut. quæſt.* 27. *n.*23. *& ſeqq. & aliorum.* 1

Plurimis placuit non aliter, ob læſos fructus, mercedis remiſſionem peti poſſe; 2

Cap. 5 posse, quàm si futurum sit, ut conductor, supra dimidiam conventæ mercedis partem, jacturam sentiret. Boss. *d. tract. de remiss. merced. conduct. n.* 2. *& seqq.* Covarr. *pract. quæst. d. cap.* 30. *n.* 1. *vers. quamobrem.* Mozzius *d. tit. de Accident. locati n.* 15. Faber *in Cod. tit. locat. defin.* 3. *n.* 1. Koppen *decis.* 27. *n.* 7. *&* 9. Giurba *observat.* 24. *n.* 2. *&* 7. D'Espeisses *aud. tit. du Louage sect.* 4. *n.*
3 11. *vers. Tertio.* Nobis eorum sententia placet, qui arbitrio judicis relinquunt, ut ille circa remissionem mercedis ex lato damno statuat, id quod æquum videbitur. Cum enim tum demum jure conductori succursum sit, si plus quam tolerabile, læsi fuerint fructus *d. l. si merces* 25. §. 6. *ff. locat.* nec sit definitum, quale, & quantum damnum sit tolerabile, tutius erit ad religionem judicis confugere, qui habitâ ratione ejus, quod, deductis expensis, ex fructibus remanserit, arbitrabitur, an, & quanta mercedis exoneratio conductori sit danda. Salicet. *in l. si uno in pr. ff. locat.*
Car-

Carpan. *ad ſtatut. Mediol. tom.* 2. *cap.* 394. Cap. 5
n. 27. 28. Pantzſchman. *d. quæſt.* 1. *n.* 32. *& ſeqq.* Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 105. Valaſc. *d. quæſt.* 27. *n.* 24. *in fin.* Acac. de Ripol. *var. reſol. cap.* 12. *n.* 221. 222. Maſcard. *de probat. vol.* 3. *concluſ.* 1340. *n.* 8. Ant. de Amato *part.* 1. *reſol.* 18. Buſius *ad. d. l.* 15. *ff. locat. n.* 4. Pereſius *eod. tit. Cod. n.* 25. Zoeſ. *ad eund. tit. ff. n.* 20. Mevius *part.* 9. *deciſ. Viſmar.* 116. *n.* 11.
Id quod & Illuſtriſſimis hujus Provin- 4
ciæ Ordinibus placuit *præfato edicto anni* 1674. *art.* 4. dum ſtatuerunt. *Si inter colonos & proprietarios ſuper remiſſione mercedis annorum* 1672. 1673. *&* 1674. *non conveniat, eorum quæſtiones coram judicibus ad id delegatis, auditâ parte, cauſâque cognitâ, de plano, & citra ſumptus partium deciduntor. A judicato Delegatorum nulla appellatio, vel ulterior provocatio conceditor.* Idem apud Gelros ſanci- 5
tum edicto anni 1591. quod renovatum eſt anno 1675. ne aliàs incolæ, qui vix bellum eluctati, litibus ac ſumptibus, qui in longioris ſubſellii probationibus re-

Cap.3 requiruntur, se mutuo porrò macerent,
6 ac perdant. Itaque quando apud nos circa remissionem mercedis præfatorum annorum facti quæstio discutienda est, an, & quatenus conductori licuerit re conductâ frui, non condemnatur ille fiduciariè, præstitâ per locatorem cautione de restituenda pecunia, si postea ex faciendis probationibus, eventuque litis appareat, nihil, aut minus conductorem locatori debuisse. Quod tamen placuit Rebuffo *ad constit. Reg. tract. de litter. oblig. art.* 2. *gl.* 1. *n.* 32. Fabro *ad d. tit. locat. defin.* 4. *&* 56. Christin. *vol.* 3. *decis.* 117. *n.* 7. *& ad LL. Mechlin. tit.* 8. *art.* 1. *in annot. in fin.* Koppen. *decis.* 27. *n.* 25. Confer Caroc. *d. quæst.*
7 18. *n.* 114. Cui succinit Regis Hispaniæ edictum in Provinciis Belgicis, anni
8 1587. In ipso Regno Hispanico hac in parte expeditius conductoribus provisum esse tradunt Fern. Vasquius, *controv. usufr. lib.* 3. *cap.* 54. *n.* 4. *in fin.* Ludov. Molina *de Just. & Jure tract.* 2. *disput.* 495. *vers. Lex verò.* Valasc. *de*
jure

jure Emphyt. quæst. 27. *n.* 31. 32. ut ele- Cap.5
ctio ſit conductoris, an integram penſionem, retentis fructibus, velit ſolvere, an verò à mercede immunis, malit fructus Domino dimittere, ne ſupra damnum amiſſi ſeminis,& expenſarum, mercedes agri præſtare cogatur; Uti loquitur JCtus *in l.* 2. §. 2. *ff. locat.* Verùm 9
illud Hiſpanorum placitum noſtrati Legiſlatori diſplicuit, nec genio, & vafritiei ruſticorum tantum videtur indulgendum, ut, conceſſâ iiſdem præfatâ optione, dominos fundi annuatim vexent, iiſque illudant. Quare remiſſionem retinuimus.

Si in plures annos locatio facta ſit, non 10
eſſe tractandum de remiſſione mercedis, niſi finitâ locatione, quaſi non ſint tot contractus, quot anni, ſed omnium annorum unica, & individua ſit locatio, ex qua proinde non prius ſciri poſſet, pluſne lucri, an damni conductor ſenſerit, niſi expleto conductionis tempore, & confuſis omnium annorum fructibus, & penſionibus, ut ſi quid prio-

Cap. 5 priorum ubertati defuerit, sequentium fertilitate compensetur, docemur ex *l. ex conducto* 25. §. *Papinianus* 4. *ff. locat. l.* 8. *C. eod.* Fab. *in ration. ad. d.* §. 4. *idem in Cod. d. tit. locat. def.* 3. Mornac. *ad l.* 78. §. *ult. ff. de contrah. empt.* Carpzov. *part.* 2. *constit.* 37. *defin.* 12. & *tract. de asyl. debitor. cap.* 2. *posit.* 40. *n.* 119. D'Espeisses *aud. tit. du Louage sect.*
11 4. *n.* 11. *vers. Tertio.* Itaque si uno anno remissionem colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigerit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remiserit, exigendam esse, ait Ulpianus *in d.* §. 4. Saliect. *ad l.* 8. *C. locat. n.* 8. Borgn. Cavalcan. *lib.* 5. *decis.* Fivizan. 26. *n.* 7. Barbos. *ad l. divortio.* §. *fin. n.* 7. *in fin. ff. solut. matrim.* Faber *in Cod d. tit. Locat. defin.* 35. *n.* 4. *in notis.* Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 44. Giurba *d. observ.* 24. *n.* 19. Carpzov. *d. tract. Asylor. posit.* 40. *n.* 121.
12 Nisi ab initio convenerit, ut in singulos annos, si quando sterilitas, aut quid aliud

aliud contingat, ſeparatim penſionis re- Cap. 5
miſſio peti poſſit, tum enim ſi de ſterili-
tate prioris anni conſtet, ſtatim remiſſio
facienda, nec curanda eſt ſequentium
annorum fertilitas. Boſſius *d. tract. n.* 23.
Faber *in rational. ad. d.* §. 4. *& d. defin.*
3. *n.* 5. *in notis & defin.* 35. Carpzov. *d.*
conſt. 37. *defin.* 13. D'Eſpeiſſes *d. l.* Rurſus, 13
ſi ubertas magna præceſſerit, compenſa-
bit ea ſterilitatem ſubſequentem. Gail 2.
obſerv. 23. *n.* 12. Barboſa *d.* §. *fin. n.* 6.
Giurba *d. n.* 19. Zoeſius *ad d. tit. ff. lo-*
cat. n. 21. Quanta autem ubertas eſſe de- 14
beat, ut compenſationi cum ſterilitate
locus ſit, relinquitur itidem judicis ar-
bitrio. Boſſius *d. tract. n.* 25. Salicet. *ad*
l. 8. *C. locat. n.* 6. Sichard. *ad eand. leg. n.*
14. 15. Althuſ. *in dicæolog. lib.* 1. *cap.* 76.
n. 17. Quod ſi dominus ultimo anno, 15
ſterilitatis ergo, fecerit remiſſionem co-
lono, ſciens ubertatem priorum anno-
rum, non poterit poſtea conductorem
vocare ad computationem, ut conferat
& compenſet ubertatem priorum an-
norum cum ſterilitate noviſſimi, atque

Cap. 5 ut ratio ponatur fructuum, qui toto locationis tempore ex re locata provenerunt. Imputet enim ſibi, quod, certus de jure ſuo, maluiſſe intelligatur ejus anni mercedem remittere. Faber *in rational. ad l. 15. §. 4. ff. locati in fin.* Valaſc. *d. quæſt. 27. n. 44.*

16 Hanc tamen compenſationem non admittunt Doctores, ſi remiſſio facta ſit ob clades bellicas, quæ non fructum modò, ſed & fruendi licentiam abſtulerunt, ut hæc remiſſio ex eo alterari nequeat, quod poſtea ingens ubertas colono advenerit. Charond. *liv. 4. reſp.* 102. Papon *in arreſt. lib. 13. tit. 9. arr.* 12. Mevius *in diſcuſſ. levam. debit. inop. cap. 4. n. 66. 67.* D'Eſpeiſſes *d. loc. n. 11.*
17 *verſ. Ainſſi à l'occaſion de guerre.* Imò crediderim ego hanc compenſationem fertilitatis cum ſterilitate, & vice verſâ, noſtratibus locationibus & conductionibus non rectè convenire, niſi eo ſolo caſu, cum in plures annos locatio per averſionem facta eſt, uno pretio in omnes annos conſtituto; tum enim re-

ctè

ctè vocaveris hanc unicam, eandemque Cap. 5
ndividuam locationem, ubi unica pen-
io pro omnibus annis ſolvitur, ac pro-
nde una actio tantum eſt, quæ locatori,
ooſt finem locationis, actione locati,
competit. Cæterum cum pretium in
ingulos annos diſtributum, atque pen-
io annuatim præſtanda eſt (uti apud
os fieri aſſolet) putaverim, quoad ef-
ectum remiſſionis, tot intelligendas
ſſe locationes, quot ſunt anni, ſive
ermini ſolvendi, ut remiſſio, quam
orte primo anno fieri neceſſe fuit, ex
oſterioris temporis eventu nunquam
etractari poſſit, verùm ſingulis annis,
ontra ſingulas mercedis petitiones, ex
iſta cauſa remiſſionem peti poſſe. Boſ-
us *d. tract. n.* 23. *&* 34. Alexand. *vol.*
. *conſil.* 3. Surdus *conſil.* 34. *n.* 53. 54.
ranc. Marcus *part.* 2. *deciſ.* 2. *n.* 34.
'alaſc. *de jure Emphyt. quæſt.* 27. *n.* 29.
Caldas de Pereira *de Empt. Vendit. cap.*
6. *n.* 62. Acac. de Ripol. *var. reſol.*
ap. 12. *n.* 194. *& ſeqq.* Jo: à Seſſe *deciſ.*
egn. Aragon. 186. *n.* 24. Quo etiam
 vergit

Cap. 5 vergit Coſtal. *ad l. 15. §. Papinianus ff. locati n. 11.* Quod non obſcurè innuunt Illuſtriſſimi noſtrates Ordines, præfato edicto, cum conductorum calamitatibus annorum 1672. 1673. & 1674. præciſè ſubveniunt, abſque ullo reſpectu ad ubertatem præcedentem, vel quæ in futurum evenire poſſet. Id quod
18 pariter praxis Gallica confirmat. Charondas *en ſes pandect. liv. 2. chap. 32. de la Location p.m. 316. verſ. Ainſi on ne practique en France. & liv. 4. chap. 15. p. m. 534. verſ. Par ce qu'on n'obſerve par le droit Francois.* Si igitur inſequentibus
19 annis inſolita contigerit fertilitas, illud Dei beneficium colono auferendum non videtur, nec propterea augenda
20 penſio. *l. 25. §. vis major 6. ff. locat.* Quapropter non ſpectabimus, an diligentiâ coloni fundus ad tantam ubertatem devenerit, an verò fortunâ & Dei providentiâ, nullâ majori culturâ coloni interveniente, quaſi poſteriori caſu amplianda ſit penſio, uti volunt Gl. Barthol. Coſtal. *ad l. 25. in fin. ff. locat.*

Gomez.

Gomez. *lib.* 2. *var. resol. cap.* 3. *n.* 18. Cap. 5
vers. si verò fertilitas. Alex. Raudens.
de analog. univoc. lib. 1. *cap.* 22. *n.* 156.
Ubertatis namque spe ad conductionem semper colonus accedit, ast calamitas ei improvisa est. Salicet. *ad l.* 8. *C. locat. n.* 3. Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 53. *in fin.* Charond. *d. chap.* 32. *& p.* 316. *vers. Si toutesfois advient.* Pinell. *ad l.* 2. *C. de rescind. vendit. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 34. Koppen *lib.* 2. *decis.* 49. *n.* 9. Fern. Vasquius *controv. usufreq. lib.* 3. *cap.* 54. *n.* 10. Barbosa *ad l. divortio* §. *fin. n.* 7. *ff. solut. matrim.* Christin. *vol.* 3. *decis.* 112. *n.* 1. Busius *ad l.* 15. §. 4. *ff. locati n.* 4. Zoes. *ad d. tit. ff. n.* 22. D. Cyprian. Regn. ab Oosterga *disp. ad Instit.* 19. *de Locat. th.* 13. D. Anth. Matthæus *de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 19. Cum 21
ille iterum modicum damnum æquo animo ferre debeat. *d.* §. 6. Et si de fructuum exiguitate quæratur, non esse ejus rationem habendam rescripto Divi Antonini continetur *d. l.* 15. §. *cum quidam* 5. *ff. eod.* Multo minus audien- 22

 dus

Cap.5 dus erit conductor, si fructus quidem modici fuerint, sed iidem adeò cari, ut exinde commodè integra pensio solvi potuerit, tum enim ex tenui illa fructuum perceptione, non passus fuit intolerabile damnum, quod lex exposcit, ut remissioni locus sit. Rol. à Valle *lib.* 3. *consil.* 86. *n.* 8. Koppen *d. decis.* 27. *n.* 21. *vers. Sexto.* Caroc. *d. tract.* & *quæst.* 18. *n.* 53. & 65. Valasc. *de jur. Emphyt. quæst.* 27. *n.* 25. *vers. Interdum.* Giurba *observ. decis.* 24. *n.* 16. Franc. Niger Cyriac. *lib.* 2. *controv. forens.* 296.
23 *n.* 22. Quare & illud placuit, ut ejusdem anni sterilitas unius speciei, cum aliarum specierum fertilitate compensetur, etenim

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

Virgil. *lib.* 1. *Georg.*

Itaque cum vinum & frumentum speraretur, frumenti penuria magna, vini copia maxima fuerit, remissionem mercedis fieri non oportebit. *text. express. in l. si fundus* 8. §. 1. *ff. solut. matrim.* ubi ait JC^tus^ Paulus, *quod in sementem erogatur*,

tur, si non responderint messes, ex vindemia deducetur, quia totius anni unus fructus est, confundi ergo debent fructus, & messis, & vindemiæ. *l. fructus* 7. §. 1. *ff. eod. tit.* Bossius *d. tract. n.* 20. Gigas *de pension. quæst.* 62. *n.* 26. Carpan. *d. cap.* 394. *n.* 45. *& seqq.* Pantzschman. *d. quæst.* 1. *n.* 37. Borgn. Cavalcan. *lib.* 5. *decis. Fivizan.* 26. *n.* 6. Mornac. *ad l.* 15. §. *sed etsi labes. ff. locat.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 5. *tit.* 8. *n.* 32. *&* 40. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 52. Surdus *decis.* 155. *n.* 7. Faber *d. tit. locat. defin.* 47. Giurba *d. observ.* 24. *n.* 13. 17. Mevius *in levam. debit. inop. cap.* 4. *n.* 67. *& part.* 9. *decis. Vismar.* 16. *n.* 6. *in not.* Cap. 5

Ex quo fundamento & illud affirmandum est, si quis conduxerit universum fundi reditum ad pecuniam numeratam, eundemque, per partes, pluribus sublocaverit, conventâ pensione, sive in pecunia, sive in frumento, vel aliâ fructuum specie, atque fructus illos vis major abstulerit, posse quidem 24

Cap. 5 ſecundum conductorem petere remiſſionem à ſuo locatore, non tamen eum à primo locatore, ſi primus ille conductor ex generali ſuâ conductione tantum confecerit, quod remiſſionem excluderet. Boſſius *d. tract. n.* 22. Caroc. *tract. Locat. part.* 4. *quæſt.* 18. *in princ.* Faber *ad d. tit. C. locat. defin.* 27.

25 Illud ſupervacuum monitu videtur, in hac remiſſionis materia requiri ſterilitatem fructuum, nec attendi vilitatem pretii, poſſet namque conductor fructus aſſervare uſque ad carius pretium, Boſſ. *d. tract. n.* 6. Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 65. Gomez. *var. reſol. tom.* 2. *cap.* 3. *n.* 18. *verſ. Si verò fructus.* Franciſc. Niger Cyriac. *d. controv.* 296. *n.* 21.

26 Nec item attendi, ſi ſterilitas contigerit, non caſu fortuito, vel alio facto extrinſeco, ſed vitio ipſius rei, ut ſi per aëris intemperiem, vel ſpinis, aut lolio corroſæ ſint fruges, tum enim de fructuum vitio non tenetur locator. Salicet. *ad l.* 8. *C. locat. n.* 4. *verſ. Tertio caſu.* Gomez. *d. n.* 18. *verſ. ſi qua tamen vitia.*

Caroc.

Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 33. & 41. Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 41. *vers. ut igitur.* & *n.* 43. Barbos. *ad d. l.* 8. *C. locat. n.* 18. Cap. 5

Multo minus remittenda erit pensio, si sterilitas acciderit culpâ ipsius conductoris, ut quia malè, aut intempestivè prædium coluerit. Etenim, ut ait Virgil. *lib.* 1. *Georgic.* 27

— Si triticeam messem, robustaque farra
Exercebis humum; solisque instabis aristis.
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ,
Multi ante occasum Majæ cœpere: sed illos
Expectata seges vanis elusit avenis.

Igitur si in eo negligentior fuerit colonus, frustra remissionem petet. *l. si merces* 25. §. *conductor* 3. *ff. locat.* Gail *d. observ.* 23. *n.* 21. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 74. & 128. Koppen *d. decis.* 27. *n.* 16. 28

Cap. 5 Koppen Junior *lib.* 2. *obſ.* 49. *n.* 11. *verſ. Si inſuper.* Valaſc. *d. quæſt.* 27. *n.* 39. Barboſa *ad. d. l.* 8. *C. locat. n.* 14.

29 Eadem remiſſio videtur deneganda colono qui prædium omninò non coluit, hic enim excuſandus non eſt, licet fortuitus caſus ſupervenerit, qui omnes fructus abſtuliſſet. Leges namque non favent colonis, ratione ſterilitatis, inundationis, aut ſimilis caſus, niſi cum is in fructibus contigerit, quos colonus ſperabat. Ideo dicta lex *ex conducto* 15. §. 2. *ff. locat.* ad exonerationem ejuſdem coloni, his verbis utitur, *ſi ſegetes corruptæ ſint.* Item *ſi labes facta ſit, omnemque fructum tulerit.* Porro, *ne ſupra damnum amiſſi ſeminis mercedes agri præſtare cogatur.* Inſuper §. 3. *ſi fundum coluiſti.* Ergo qui fundum non coluit, nullum ſemen amiſit, damnum paſſus dici non poteſt, nec proinde attendi debet, quod, culto agro, eandem fortunam cum cæteris fuiſſet expertus. Salicet. *ad d. l.* 8. *C. locat. n.* 4. *verſ. Tertius eſt.* Valaſc. *d. quæſt.* 27. *n.* 42.

42. Quod & Gelri apud Bommelanos Cap. 5
ſanciverant edicto anni 1578. 4 Febr. 30
in verbis. *Wel-verſtaende dat die gene die haer goet hadden mogen gebruycken, en verſuymt, of willens hebben laten liggen, hier by niet geſchoont ſullen werden.* Id eſt. *Qui, cum prædiis uti frui potuiſſent, ea inculta jacere ſiverunt, à mercedis præſtatione non excuſantor.* Nolim tamen id 31
extendere ad tempus belli, quo Virgilianus ille villicus ſtatim poſt ſementem deplorabat agrum, in quo inſtruendo tantopere laboraſſet,

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? ——
—— En queis conſevimus agros.

De quo uberius agemus *infra cap.* 10. quando demonſtrabimus, bellum non fruitionem ſolam, ſed & jus ingrediendi fundum auferre.

Non tamen ad culpam imputari po- 32
teſt colono, ſi cum menſe Junio, inundatio facta fuerit, iteratò non ſeminaverit. Incertum enim eſt, an ſecunda

ea

Cap. 5 ea diligentia fuiſſet profutura ; atque improbè Neptunum accuſabit is, qui ſecundò naufragium facit. Surdus *deciſ. Mantuan.* 87. Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 74. *verſ. Etſi fundus.* Acac. de Ripol. *var. reſol. cap.* 12. *n.* 308. 309.

33 Quid ſi denuò fortunam experiri velit colonus, tenebiturne proprietarius ei ſemen ſuppeditare? Pro affirmativa ſententia à Senatu Divionenſi judicatum eſſe refert Bouvot *en ſes queſt. notabl. tom.* 2. *verb. bail à ferme queſt.* 30. Ve-
34 rùm nullâ ratione; Locator enim tantùm tenetur, ad traditionem fundi, & patientiam utendi fruendi. *l.* 15. *ff. locat.* & damnum amiſſi ſeminis ſemper ad colonum ſpectat *d. l.* 15. *§.* 2. *&* 7. *ff. eod.* Ideo colonus ſuis impenſis fundum colere debet. Quod non tantum in nummario colono obtinet; Verùm etiam in partiario: Id enim actum intelligitur, ut quemadmodum alter fundum, ita viciſſim ille conferat, quicquid ad culturam fundi neceſſarium eſt. Franc. Marc. *deciſ. Delphin. part.* 1. *deciſ.* 888. *n.* 12.

n. 12. Caroc. *d. part.* 4. *quæst.* 44. *n.* 1. Cap. 5
2. Surdus *decis.* 201. Tulden. *ad d. tit. C. locat. n.* 14.

CAPUT SEXTUM.

De remissione colonis facienda propter calamitatem bellicam.

SUMMARIA.

1. *Pensio constituitur in compensationem fructuum percipiendorum.*
2. *Locator tenetur conductorem defendere in possessione utendi fruendi gratia.*
3. *Si in rebus propriis conductoris, damnum contigerit, hoc locatorem non attinet.*
4. *Dicuntur fructus damno conductoris simulac à solo separati sunt.*
5. *Gelrorum edictum refertur.*
6. *Alii requirunt, ut fructus in horreum, vel alium locum sint advecti.*

Cap.6 7. *Regis Hispaniæ temperamentum circa*
6 *damnum occasione belli latum narratur.*

8. *Itidem Legislatoris nostratis.*

9. *Ad remissionem petendam non interest, an in frumento, vino, oleo, aut simili re qualibet merces præstetur, an in pecunia numerata.*

10. *Ita tamen, ut damnum contigerit sine culpa conductoris, & ante tempus quo merces solvi debuit.*

11. *Quid si colonus admonitus fuerit adventantis exercitus; utque frumentum deportaret, neque id fecerit?*

12. *Non requiritur ad remissionem, ut locator ipse causam belli dederit, sufficit solus hostium incursus.*

1 ccedamus propius ad remissionem mercedis agrariæ, quæ ob causam belli fit. Æquum namque est, propter belli calamitatem remitti pensionem conductori pro rata damni: cum ex natura contractus pensio

ſio conſtituatur in compenſationem Cap.6
fructuum percipiendorum. Salicet. *ad l. licet* 8. *C. locat. n.* 2. *verſ. oppono* 2. Covar. *pract. quæst. cap.* 30. Gomez. *tom.* 2. *var. reſol. cap.* 3. *n.* 18. Caſtill. Sotomaj. *lib.* 3. *quotid. controv. cap.* 3. *n.* 19. Mevius *in levam. debit. inop. cap.* 1. *n.* 137. Perez. *ad tit. C. locat. n.* 25. *in fin.*
Nec ſufficit quod locator fundum uten- 2
dum fruendum colono tradiderit, niſi curet, ut apud eum ſit toto locationis tempore; locator enim tenetur conductorem defendere in poſſeſſione rei locatæ, utendi fruendi gratia. Cacheran. *deciſ. Pedemont.* 50. *n.* 8. *& ſeqq.* Surdus *deciſ. Mant.* 326. *n.* 17. Valaſc. *d. quæſt.* 27. *n.* 26. D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. Itaque ſi læſi ſint fructus ſtantes, periculum erit locatoris. *d. l.* 15. §. 1. *l.* 25. §. *vis ff. locat.* Quod ſi damnum circa perceptos 3
acciderit, hoc colonus ferre debet, cum, perceptione, ipſius facti ſint. Hinc generaliter ab Imperatore Philippo reſponſum eſt, ut Dominus nihil teneatur re-
mittere

Cap.6 mittere colono, si vel per aggressuram latronum, vel alio quovis malo, damnum colono in rebus propriis contigerit. *l.* 12. *C. locat. & ibi* Mornac. *in comment.* Mozzius *de contract. tit. de accident. locat. n.* 41. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 38. 39. Faber *in Cod. tit. Locati defin.* 24. *in fin.* Carpzov. *part.* 2. *const.* 37. *defin.* 21. *& tract. de Asyl. debit. cap.* 2. *posit.* 40. *n.* 130. Mevius *part.6.decis. Vismar.*
4 224. *n.* 2. *& decis.* 400. *n.* 2. Dicuntur autem fructus damno conductoris, simulac à solo separati sunt. Bossius *d. tract. n.* 90. Pantzschman. *d. part.* 1. *quæst.* 5. *n.* 16. Tulden. *ad Instit. tit. locat. cap.* 7. *vers. sed neque.* Bouvot *en ses arrests tom.* 1. *part.* 2. *verb. Perte de meu-*
5 *bles quest.* 1. Id quod ab Equestri Ordine, & cæteris collegiis in territorio Tilano & Bommelano anno 1578. sancitum fuit *art.* 1. *Belangende de jaeren twee-en-seventigh, doen de Holsteynse Ruyteren in October naer den schaere, in Bommelreweert gevallen waren, soo datmael den schoeff van den landen was, en salmen der-*

derhalven van thyns , erf-pacht, of lant- Cap.6
pacht niet korten. Id eſt. *Quantum attinet ad annum ſeptuageſimum ſecundum, cum equites Holſati, menſe Octobri, irruptionem fecerant in inſulam Bommelanam, quoniam tum ſeges demeſſa erat, nulla reditus annui, canonis emphyteutici, aut penſionis remiſſio dabitur.*

Alii, quanquam ubi de dominio quæ- 6
rendo agitur, non negant ſufficere à ſolo ſeparatos eſſe fructus, uti in poſſeſſore bonæ fidei, & fructuario, in hac tamen remiſſionis materia, ut plenè dicantur percepti fructus, requirunt, ut iidem in horreum, vel in alium locum ſint advecti, tum enim putant plenum uſum rei contigiſſe conductori, ut ei noceat damnum, quod accidit rei ſuæ. Wamez. *cent.* 2. *conſ. Civ.* 73. *n.* 2. Charond. *en ſes Pandect. liv.* 2.*chap.* 32. *p. m.* 316. *verſ. Mais s'il advient, & liv.* 4. *chap.* 15. *p. m.* 534. *verſ. Mais ceux tout.* Gomez. *var. reſol. tom.* 2. *cap.* 3. *locat. conduct. n.* 18. *verſ. quod extende.* Faber *in Cod. d. tit. locat. defin.* 21. *n.* 16.

E *& defin.*

Cap.6 *& defin.* 46. *& defin.* 52. Zoes. *ad d. tit. ff. locat. n.* 24. Carpzov. *part.* 2. *const.* 37. *defin.* 20. *& tract. de Asyl. debit. cap.* 2. *posit.* 40. *n.* 128. Hinc præfatus Bossius *d. tract. n.* 30. ait, doctrinam illam, ut eo ipso, quo fructus sunt à solo separati, sint damno coloni, tanquam domini, consistere in mera subtilitate, cum in remissionis negotio ulterius procedat bona fides, quæ in contractu locationis conductionis, exuberare debet: ideoque non posse dici conductorem esse usum fruitum, nisi revera fructus suos fecerit. Quem sequuntur Mozzius *d. tit. de Accident. locat. n.* 34. *& seqq.* Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 23. *& seqq.* Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 51.

7 Quapropter æquissimè Hispanus Rex ante-relato Edicto suo anni 1587. indistinctè omnibus colonis in Hispanico Belgio succurrit, & rigorem juris temperavit circa damnum, tempore tam diuturni belli latum, eo quod communi malo orta damni sarcina facilius plurium, quam unius humeris imponatur,

ac

ac perferatur, Perez. *ad d. tit. Locat. n.* 26. Cui consentaneum est Edictum nostras *anni* 1674. *art.* 4. Quid enim interest, an à solo separatos Barbarus miles abstulerit fructus, an verò in horreo reconditos? Imò verò satius colono foret frumenta in herbis fuisse adempta, quàm tot laboribus, & sumptibus in horreum advecta. Nec est imputandum conductori, quod non citius distraxerit, aut consumpserit fructus perceptos, cum sæpe cariores esse soleant, qui longiore post messes tempore venduntur. Faber *ad d. tit. C. locat. defin.* 22. *n.* 15.

Cap. 6

8

9 Quod autem idem Faber *eod. loc.* eumque secutus Christinæus *vol.* 3. *decis.* 117. *n.* 10. *& seqq.* autumant, id solum obtinere in colono, qui mercedem præstat in frumento, vino, oleo, aliave simili re qualibet, aliam verò esse causam ejus qui fundum ad pecuniam numeratam conducit, ut hic, si fructus tardius distrahere conatus fuerit, illud pro jure suo fecisse credendus sit; proinde esse quod sibi imputet, si eum spes fallat, & quod

Cap. 6 pro ſperato lucro, quod evenire potuerat, damnum præſens ſentiat, in eo illis aſſentiri non poſſum. Non enim intereſt, in certa quantitate fructuum, an in pecunia numerata merces conſtiterit, cum utrimque conſideremus cladem bellicam, & vim militum, cui conductor reſiſtere non potuit, & plerumque merces ſolvatur ex diſtractione ipſorum fructuum, qui in fundo locato nati ſunt.

10 Sed hoc ita, ſi ſine conductoris culpa damnum contigerit, & ante tempus quo merces ſolvi debuit. Quid enim ſi ante bellum conduxerit, & tempus ſolutionis ante illatam ab hoſtibus vim venerit, jam certè damnum, quod ſuâ culpâ, & negligentiâ accidit, æquo animo ferre debet conductor, cum in ejus poteſtate fuerit, caſum fortuitum evitare, vel antevertere; ſemper namque periculum ejus eſt, qui eſt in mora. *l. ſi in Aſia.* 12. *§. fin. ff. depoſ. l. quod te.* 5. *ff. de reb. cred. l. ſi ex legati* 23. *l. ſi ſervum* 91. *§.* 3. *ff. de V. O.* Maynard. *lib.* 2. *deciſ.* 79. Papon. *lib.* 13. *tit.* 9. *arr.* 12. *in*

not.

not. Charondas *en ses Pandect. aud.* Cap.6
chap. 32. *p. m.* 316. *vers. Si le fermier.*
& liv. 3. *resp.* 5. *& en ses memorabl. observ. verb. Debte, vers. Si le debteur p. m.* 4. *& verb. Fermier, à la fin.* Faber *d. defin.* 22. *n.* 19. *& seqq. & defin.* 46. Christin. *vol.* 3. *decis.* 117. *n.* 13. Casp. Manzius *in patrocin. debitor. decad.* 3. *quæst.* 7. *n.* 143. *& seqq.* Mevius *part.* 5. *decis. Vismar.* 402. *n.* 7. D'Espeisses *d. tit. du Louage sect.* 4. *n.* 11. *vers. Moins encore.*

Tantundem dicendum est, si condu- 11
ctor à Domino admonitus fuerit adventantis exercitus, utque deportaret frumentum ad loca securiora, nec id fecerit, uti judicatum referunt Koppen *decis.* 27. *n.* 17. Bouvot *en ses arrests, tom.* 1. *part.* 2. *verb. Fermier. quest.* 2.

Meminisse hîc oportebit, in hac re- 12
missionis ob bellum materia non districtè requiri, ut locator ipse bello caussam præbuerit, uti putabat Sanxonius *ad consuet. Turon. tit.* 7. *de jur. vectigal. art.* 7. *verb. poches. vers. an autem ementes.* Verùm sufficere ipsum incursum

 hostium,

Cap. 6 hostium; igitur non distingui, quis causam hostibus dederit ut agros nostros popularentur. Sive ergo locator causa belli fuerit, sive hostis ipse sine justa causa bellum nobis intulerit, remissio facienda est. *l. ex conducto* 15. §. 2. *ff. locat.* D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 6.

CAPUT SEPTIMUM.

De conductoribus qui casus fortuitos in se susceperunt.

SUMMARIA.

1. *Ubi expressè aliter conventum est, cessat postulanda remissio.*
2. *Quid si casus fortuitos in se susceperit conductor?*
3. *Explicatur L. Fistulas* 78. §. *frumenta ff. de contr. empt.*
4. *Salmasii opinio in eandem legem examinatur, & refellitur.*

5. *Sunt,*

5. *Sunt, qui docent conductorem qui casum insolitum in se suscepit, quoscunque casus, etiam insolitos, in se recepisse.* Cap. 7.
6. *Laudatur temperamentum D. Ant. Matthæi.*
7. *Quod & aliorum calculo confirmatur.*
8. *Quid si omnem casum fortuitum in se susceperit conductor?*
9. *Quid si renunciaverit casibus fortuitis, tam cogitatis, quàm incogitatis?*
10. *An opus erit singulorum casuum fortuitorum renunciatione?*
11. *Quid si enumeratis singulis casuum fortuitorum speciebus conductor renunciaverit?*
12. *Hujus vetus exemplum refertur.*
13. *Auctoris judicium circa hanc quæstionem.*
14. *DD. Ordd. Hollandiæ.*
15. *D. Ant. Matthæi opinionem non recepit usus.*
16. *Factum Principis non nocet conductori.*

Cap. 7 17. *Tota remissionis materia relinquitur arbitrio Judicis.*

1 HÆc propter bellum, mercedis postulanda remissio cessat, ubi expressè aliud conventum est. *l. 8. C. locat.*
2 Quid si casus fortuitos in se susceperit conductor? Julianus libro quinto decimo Digestorum dicit, *si quis fundum locaverit, ut etiamsi quid vi majori accidisset hoc ei præstaretur, pacto standum esse.* Verba sunt Ulpiani *in l. si quis 9. §. 2. ff. locat.* Verùm contineat, nec ne, generalis illa fortuitorum casuum renunciatio, casus insolitos? Mirum in modum torsit Doctorum ingenia interpretatio legis *fistulas 78. §. frumenta ff. de contrah. empt.* ut verè Fern. Vasquius *lib. 3 controv. usufreq. cap. 54. n. 6. vers. Et quidem hac in re.* Doctores in hac materia nautis assimilet, qui in contrarias regiones properando, iisdem ventorum flatibus utuntur. Audiamus
3 verba legis. *Frumenta quæ in herbis erant cum*

cum vendidisses, dixisti te, si quid vi, aut Cap.7
tempestate factum esset præstaturum. Ea frumenta nives corruperunt. Si immoderatæ fuerunt, & contra consuetudinem tempestatis, agi tecum ex empto poterit. Ecce, promisit venditor frumenti se præstiturum si quid vi, aut tempestate factum esset, & sic nivium, aut tempestatis periculum in se suscepit, postmodum contigit, ut nives frumenta corruperint, Respondet JC^tus, si immoderatæ eædem fuerunt, & contra consuetudinem tempestatis, venditorem teneri, ac cum eo ex empto agi posse. Quasi dicat, venditorem non præsumi, nec esse credendum, se voluisse obligare ex causa cujuscunque vis, aut tempestatis, nec item emptorem ex solita vi, aut aliquando contingenti tempestate, damnum timuisse. Igitur pactionem istam, immoderatas & insolitas nives respexisse, & quæ acciderent contra consuetudinem tempestatis, solitarum autem nivium damnum emptorem in se suscepisse, ac propterea earum

Cap. 7 nomine contra venditorem ex empto agi non posse. Quæ opinio est Bartholi *in l. sed & si quis 4. §. quæsitum n. 3. ff. si quis caution.* Dion. Gothofred. & Morquis *ad d. §. frumenta.* Choppin. *de Doman. Gall. lib. 3. tit. 13. n. 7. 8.* Acac. de Ripol. *d. cap. 12. n. 297.* Castill. Sotomaj. *lib. 3. controv. quotid. cap. 3. n. 80. & seqq.* Giurbæ *d. observ. 24. n. 12. vers. declara primò.* Nicol. Burgund. *tract. de pericul. & culp. cap. 8. n. 9.* Nec dubium est, quin *in d. §. frumenta*, *tempestas* ponatur pro *tempore*, ut ibi sermo sit de iis nivibus, quæ deciderunt contra anni tempus (*la saison*). Id quod apud Classicos scriptores insolens non est. Salust. *in bell. Iugurth. Eâ tempestate in exercitu nostro fuere complures novi, atque ignobiles.* Plaut. *in Mostell. sc. 1. act. 1. Gis paucas tempestates.* Cicero *de Orat. lib. 3. Quâ tempestate Pœnus in Italiam venit.* & passim. Itaque nullam ratio-

4 nem video, cur magnus ille Salmasius *in observat. ad jus Attic. & Roman. cap. 24.* contra fidem omnium exemplarium,

rium, pro *tempeſtatis*, ſubſtituerit *tempeſtates*, quaſi illa lex, non de anni tempore, ſed de cœli inquietiori ſtatu loqueretur, niſi ut ſequenti ſententiæ opitulari poſſet. Alii docent, conducto- Cap.7
rem qui caſum fortuitum in ſe ſuſcepit intelligendum eſſe quoſcunque caſus etiam inſolitos in ſe recepiſſe, cum ſoliti quoque citra conventionem noceant, & aliàs fruſtraneam fore conventionem de caſu præſtando; fortuitum enim non eſt, quod ſolet accidere, ſed quod rarò accidit, ergo, ipſâ nominis vi admonente, caſus fortuitus videtur idem eſſe qui inſolitus & improviſus. Itaque putant *d.§. frumenta* non continere ſolum eventum immoderatarum nivium, verùm expreſſam hanc conditionem, ut tum ſolum teneretur venditor, ſi immoderatæ eæ, & inſuetæ fuiſſent. Vaſquius *d. cap.* 54. *n.* 6. *& ſeqq.* Pinell. *ad l.* 2. *C. de Reſcind. vend. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 30. *& ſeqq.* Pantzſchman. *d. part.* 1. *quæſt.* 8. Charondas *en ſes Pandect. aud. chap.* 32. *verſ. Mais on limite cette exception.*

Cap.7 *ception. & liv. 4. chap.* 15. *verſ. Si le fermier p. m.* 534. *à la fin. & en ſes memor. obſerv. verb. Fermier. verſ. On adjouſte une exception.* Fachin. *lib.* 1. *controv.* 86. Tulden. *in Cod. tit. locat. n.* 11. Perez. *ad eund. tit. n.* 27. Faber *in ration. ad d. §. frumenta, idem in Cod. tit. Locat. defin.* 2. Carpzov. *part.* 2. *conſt.* 37. *def.* 17. Chriſtin. *vol.* 3. *deciſ.* 111. *n.* 7. Salmaſ. *ad jus Attic. & Roman. d. cap.* 24. Vinnius
6 *ſelect. jur. quæſtion. lib.* 2. *cap.* 1. Non diſplicet tamen temperamentum Juris peritiſſimi, & æqui obſervantiſſimi quondam Præceptoris mei D. Ant. Matthæi *tract. de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 16. qui, quanquam non diffitetur, fortuita non eſſe, quæ ſolent accidere, aſſerit tamen non eſſe negandum, quin ex iis ipſis, quæ rarius accidunt, alia quædam ſint meditata, & quaſi prævisa, alia verò quæ præter omnem expectationem, & cogitationem accidunt. Prioris generis mala ſunt nives immodicæ in hyeme, inundationes, ſiccitas, uredo, & ſimilia, quæ quidem fortuita ſunt,
nec

nec ſingulis annis accidunt, non tamen Cap.7
ita inſolita, quin ſingulis annis timeamus ea, & cogitemus. Poſterioris generis ſunt, in media pace bellum, turbo ille horribilis anni 1674. (de quo in princ. hujus) terræ motus, ubi ille infrequens eſt, nubes locuſtarum ex Oriente, nives immoderatæ, & contra conſuetudinem regionis, & anni tempus, aliaque hujuſmodi inſolita, quæ in conducendo nemo ferè timeat, aut meditetur. Certè ad hujus generis inſolita damna, renunciationes fortuitorum caſuum velle extendere, oppidò durum
foret. Eandem diſtinctionem, & æqui- 7
tatis moderationem jam pridem probaverant Charondas *dd. locis. & liv.* 4. *reſp.* 102. Peleus *en ſes act. forenſ. liv.* 6. *act.* 10. Valaſc. *de jur. Emphyt. quæſt.* 27. *n.* 35. *verſ. Unde deducitur.* Gomez. *lib.* 2. *var. reſol. cap* 3. *n.* 19. Giurba *d. obſerv.* 24. *n.* 12. In quam ſententiam etiam propendet Carpzov. *d. part.* 2. *conſtit.* 26. *def.* 8. *n.* 7. *& tract. de aſyl. debit.*
cap. 2. *art.* 40. *n.* 133. Quod ſi omnem 8
caſum

Cap. 7 casum fortuitum conductor in se susceperit, jam quoque insolitum casum esse præstandum, qualiscunque ille fuerit, tradunt Henr. Kinschot. *resp.* 90. *n.* 5. D. Ant. Matthæus *d. cap.* 5. *n.* 17. in quo dubius hæret Valasc. *d. quæst.* 17.
9 *n.* 19. *&* 34. Aut si renunciaverit casibus fortuitis, tam cogitatis, quam incogitatis, quasi tum dici non posset, de casibus insolitis non cogitasse contrahentes, qui incogitatum quemlibet conventione comprehenderint. Faber *d. tit. C. locat. defin.* 53. Burgund. *d. tract. & cap.* 8. *n.* 10. Anton. de Amato *part.* 1. *forens. jur. resol.* 18. *n.* 15.

10 Nec opus esse singulorum casuum fortuitorum renunciatione, docent Soarez. *recept. sent. lit. C. n.* 26. Acac. de Ripol. *var. resol. cap.* 12. *n.* 318. *& seqq.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 5. *tit.* 8. *n.* 11. Tulden. *d. n.* 11. *in fin.* Busius *ad Pandect. ad l.* 15. *ff. locat. n.* 8.
11 Multo minus audiendus foret conductor, si enumeratis singulis casuum fortuitorum speciebus, iisdem renunciaverit.

verit. Belordeau *en ses controvers. liv.* 6. Cap. 7
lit. F. chap. 55. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 106. Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 34. *vers. Quod si.* Id quod apud nostrates vete- 12
res frequentabatur, cujus exemplar habemus in illis litteris, quibus Decanus & Capitulum Divi Joannis nostras, bona sua sita in pago de Bosinghem anno 1325. locaverat cuidam Huberto, his verbis, *quod omnia bona d. Ecclesiæ, sita in Bosinghem, excepto jure Patronatus Ecclesiæ de Bosinghem, Huberto, dicto Pincernæ de Bosinghem, quoad vixit, concesserint pro* 330 *libris nigrorum Turonensium, grosso Turonensi nigro pro sedecim denariis computato, vel monetæ æquivalentis, annis singulis persolvendis, sub terminis & conditionibus infra scriptis, videlicet quod ipse annis singulis etiam plagâ communi, bello, incendio, rapinâ. clade, pestilentiâ, seu quocunque alio casu fortuito in dictis bonis suis, seu aliqua parte eorundem, nihilominus singulis annis & terminis subscriptis persolvet, &c.*
Verùm adhuc tentari possit, an non & 13
his

Cap.7 his casibus remissio colono sit indulgenda. Quamvis enim concesserimus, posse in stipulatum deduci id, ne fortuitorum casuum exceptio locatori opponatur, eique exceptioni à colono districtè renunciari, si tamen tanta fuerit facta labes, quæ omnem omninò fructum abstulerit, omnia frumenta proculcaverit, obtriveritque, si ager, terræ motu, ita corruerit, ut nusquam sit, (uti loquitur JC[tus] *in l.* 15. §. 2. *ff. locat.*) puto non esse repellendum conductorem, solâ renunciationis potestate, verùm religioni Judicis convenire, ut & hisce casibus conductori succurrat, hoc enim æquitas suggerit, etsi jure deficiamur. *l.* 3. §. 5. *vers. quanquam ff. de aqua & aq. pluv. arcend.* Casui enim insolito tanto promptius renunciabit colonus, quanto minus formidato. Quis enim nostratium colonorum ante quinquennium in conductione fundi ad plures annos, in se recipiens casum fortuitum, non unà renunciasset remissioni propter bellum petendæ, tum plenâ tranquillitate fruens? Etenim

Etenim rusticus imperitus rerum publicarum, ne per somnium quidem cogitare poterat, tam subitò bellum exoriturum, Galliarumque Regem tantillis septimanis Provinciam nostram occupaturum fuisse. Non sine proditionis suspicione. Nonne hodiernus conductor de terræ motu speciatim interrogatus, tanto minus eum casum in se suscipere formidabit, quanto is in Belgio infrequentior? Quare si casus talis inexpectatissimus evenerit, inhærerem præfatæ distinctioni *n.* 6. *hujus capitis*; Quam limitationem, etiam in expressa casuum fortuitorum renunciatione, cum enumeratione specierum, æquissimam esse docent, & secundùm eam judicata proferunt Charondas *liv.* 10. *resp.* 58. *& en ses memor. observ. verb. Fermier à la fin.* Peleus *aud. act.* 10. Bouvot *tom.* 2. *au mot. bail à ferme. quest.* 49. Mev. *part.* 5. *decis. Vismar.* 235. Mozz. *de contract. d. tit. de accident. locat. n.* 60. Menoch. *lib.* 7. *consil.* 671. *n.* 12. Andr. Rauchbar. Cap. 7.

 part.

Cap.7 *part. 2. quæst. jur. Civ. & Sax. 29. n. 19.* Surdus *decis. Mantuan.* 326. *n.* 49. *& seqq.*
14 A quo non abit Ordinum Hollandiæ Edictum *General. Ordonnantie van Holl. anni* 1630. *art.* 17. quod cum statuerat conductoribus vectigalium eam legem esse, ut nulla ex causa, qualiscunque ea sit, remissionem petere possint, admittit tamen hanc exceptionem, ut si hostis oppidum, vel agrum, unde vectigal colligendum foret, occupaverit, ex eo die pensio loci publicano remittatur pro rata hostilis mansionis. Secundùm quod omninò interpretandum est simile Edictum Ordinum nostratium *Anni* 1647. *art.* 38. *van de Generale Ordonn. over het verpachten en heffen der*
15 *selver.* In quo quanquam à nobis dissentit D. Matthæus *d. n.* 17. præfatâ suâ opinione subnixus, quod conductor, qui omnem casum fortuitum in se suscepit, remissionem impetrare nequeat, vicit tamen usus ejus opinionem. Postquam enim Provincia nostra anno 1672 à Gallis occupata fuit, publicani statim
coepe-

cœperunt queri de imminutiori vecti- Cap.7
galium proventu, & parum, ſaltem non dimidium ejus, quod antea, tempore pacis, conſequi potuerant, jam inde redigi poſſe. Ideoque libello ſupplici rogarunt, ut vel remiſſio ſibi fiat pro rata damni, vel ut à conductione in futurum liberari poſſint. Super iſta petitione non eſt iis, vel ab Ordinibus, vel à Magiſtratu Urbano objecta univerſalis illa caſuum fortuitorum renunciatio, principio conductionis facta; verùm publicani exonerati fuerunt ipſâ conductione, atque vectigalia adminiſtrata, & exacta, per quoſdam ab Ordinibus ad id ſpecialiter conſtitutos, commodo Ærarii publici, interpoſitâ ſuper damno vectigalium, ante præfatam exonerationem, tempore tamen hoſtilis occupationis lato, tolerabili tranſactione. Nam quod D. Matthæus pro ratione opinionis ſuæ adfert, ob id vectigalium Redemptores tempore belli remiſſionem impetrare non poſſe, quod iidem magis caleant æſtuante bel-

 lo,

Cap.7 lo, quàm deflagrante, Eheu! quam contrarium nos experti fuimus. Primò ditiores plerique Provinciam deseruerant, atque hostem aufugerant, deinde totum Ærarium Provinciæ, ejusque reditus non satisfaciebat desiderio Procuratoris Regii, verùm insuper extraordinarium tributum Civibus imperabat, & extorquebat; vix quisquam Civium erat, qui non parcè ac duriter vitam, & vivendi modum institueret; jacebant omnia commercia & opificia, (præter eorum, quos infra *cap.* 9. *n.* 14. indicavimus) tota civitas in mœrore & squalore erat. Quis putaverit in publico eo luctu magis potuisse calere publicanos tempore belli, quàm pacis, cum in Camera vectigali plus frigoris quàm caloris erat? Frigebant enim ibi homines (ut Comicus dicebat.) Itaque incivile existimatum fuit, publicanos onerare integrâ eorum vectigalium mercede, quæ solùm promissa fuit, & multitudinis hominum, & eorum facultatum respectu, & earum quoque rerum,

rerum, quæ uſu conſumerentur. (qua- Cap.7
rum penuria apud nos tempore belli maxima fuit) Quare cum omnia ferè defecerint, ad quæ Redemptores vectigalium in contrahendo reſpexerunt, æquiſſimum videtur, ut ſenſus, & incommodum tantæ calamitatis, non tam ſit penes Redemptores publicæ rei, quàm quidem penes Rempublicam
ipſam. Id quod eam rationem habere 16
dicit Menochius *d. Conſil.* 671. *n.* 5. *& ſeqq.* quod hoc conductoris vectigalium damnum, facto ipſius loci Majeſtatis, vel Principis contigerit, qui cauſa belli fuit, non item privatus conductor. De quo paulo inferius *cap.*12.*n.*5.*& ſeqq.*
Itaque non alienus ſum ab eorum ſen- 17
tentia, qui totam hanc remiſſionis materiam concredunt religioni Majeſtatis loci, vel Judicis, etiam ubi præfatis caſibus fortuitis renunciatum eſt, ut ille arbitretur, qui caſus cenſeantur inſoliti, inſperati, aut incogitati, & an totius mercedis, an pro rata exoneratio conductori danda ſit, nec ne. Menoch.

Cap.7 *de arbitr. jud. quæſt. lib. 1. cent. 1. caſ. 80.* Azevedo *ad l. 2. tit. 9. lib. 9. nov. collect. Reg. n. 23. 24.* Cævall. *comm. opin. quæſt. 702. n. 6.* Caſtill. Sotomaj. *d. lib. 3. controv. cap. 3. n. 104.* Charond. *aud. liv. 2. chap. 32. verſ. A ce propos p. m. 316. & aud. liv. 4. chap. 15. verſ. Tellement qu'il depend. p. m. 534.*

CAPUT OCTAVUM.

De Colono partiario, emptore fructuum, & decimarum.

SUMMARIA.

1. *Partiarius colonus damnum inter ſe & Dominum dividere tenetur.*
2. *Emptor fructuum an remiſsionem poteſt impetrare propter bellum, vel alias cauſas? Negant nonnulli.*
3. *Auctoris opinio.*
4. *Decimarum emptor pro conductore eſt habendus.*

5. De-

5. *Decimæ non debentur si nulli nati sint fructus.* Cap. 8
6. *Quid si Decimarum loco certa pecunia annuatim solvatur?*
7. *Non fit remissio, si habita fuerit fides de pretio.*
8. *Emptor tenetur ad usuras pretii, etiamsi nullos perceperit fructus.*
9. *Perfectâ venditione, interitus rei spectat ad emptorem.*
10. *Etiam apud nos, non obstante Carolinâ constitutione.*
11. *Cujus contrarium observatur apud Iperenses Flandros.*



Apparet autem de iis colonis nos hactenus fuisse locutos, qui ad pecuniam numeratam conduxerunt, vel qui mercedem præstant in frumento, vino, oleo, aliave re qualibet. Cæterum si colonus partiarius est (quem nos *een Half-teelder* appellamus) damnum quod circa fructus contingit, inter dominum & colonum pro partibus di- 1

Cap. 8 viditur, quaſi contractâ inter eos ſocietate. *d. l. 25. §. vis major. 6. ff. locat.* Salicet. *ad l. 8. C. locat. n. 2.* Sichard. *ibid. n. 6.* Carpan. *ad ſtatut. Mediol. tom. 2. cap. 394. n. 19.* Caroc. *d. tract. part. 4. quæſt. 17. n. 16. 17.* Gail *lib. 2. obſ. 23. n. 14.* Pantzſchman. *d. part. 1. quæſt. 5. n. 13.* Choppin. *ad LL. And. lib. 3. cap. 2. tit. 1. ex empt. & vend. n. 22. in fin.* Charond. *aud. chap. 15. verſ. ſi le fermier p. m. 534.* Faber *in Cod. ad d. tit. defin. 22. n. 3.* Chriſtin. *vol. 3. deciſ. 117. n. 10.* Acacius de Ripol. *var. reſol. cap. 12. n. 350. 351.*

2. Emptorem quoque fructuum remiſſionem impetrare non poſſe propter bellum, ſterilitatem, vel aliam quancumque labem tradunt. Menoch. *lib. 3. præſumpt. cap. 104.* D'Eſpeiſſes *tom. 1. tit. achapt. ſect. 3. n. 1. verſ. Septimo.* Quo vergere etiam videtur Faber *in Cod. d. tit. locat. defin. 25. 26.* cum perfectâ emptione periculum ad emptorem reſpiciat *l. neceſſariò 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* Verùm ea ſententia mihi non

3. pro-

probatur. Contrà, existimo in hac remissionis materia, idem esse fructus emere, & fundum conducere. Sichard. *ad d.l.* 8. *Cod. locat. n.*4. Boër. *decis. Burdeg.* 249. *n.* 7. Grivell. *decis. Dolan.* 51. *n.* 7. Bacquet *en ses quest sur les baux des boutiq. du Palais chap.* 12. *n.* 12. Nec ad rem facit quod verba contractus non sonent in locationem; semper enim, & in omnibus contractibus, sequimur id quod actum est *l.* 34. *ff. de R. I.* Nec tam nomen conventionis inspiciendum est, quàm natura & conditio negotii, quod geritur. *l. insulam* 6. *ff. de præscript. verb. l.* 3. *C. plus val. quod agit.* Pantzschmann. *part.* 1. *quæst. practic.* 17. *per tot.* Mozzius *d tit. de Accident. locat. n.* 23. Mar. Giurba *decis. Regn. Sicil.* 12. *n.* 12. Surdus *decis.* 326. *n.* 10. 11. Casp. Ant. Thessaur. *lib.* 1. *quæst. forens.* 12. *n.*4. Faber (sibi contrarius) *in Cod. lib.* 4. *tit.* 43. *de jur. Emphyt. defin.* 36. *n.* 5. 6. Veteres quoque promiscuè usi fuerunt nominibus emptionis venditionis, locationis conductionis *l. si hi qui* 14. *C. locati.* Cap. 8

Cap.8 *cati. l.* 19. *l.* 20. *ff. de A. E.* Cujac. *lib.* 9.
4 *obſerv.* 15. Ergo ſi dominus, ſuper decimis ſuis contrahendo, uſus fuerit verbo *venditionis* (quod apud nos non eſt inſolens) emptor autem propter belli calamitatem nihil harum perceperit, rectè judicatum puto, pro conductore hunc decimarum redemptorem habendum, atque remiſſionem ei dandam eſſe. Charondas *liv.* 4. *reſp.* 102. *& liv.* 6. *reſp.* 13. Conſentiunt Boſſius *tract. de remiß. public. fac. n.* 29. Carpan. *ad ſtat. Mediol. tom.* 2. *cap.* 394. *n.* 314. Sichard. *ad d. l.* 8. *C. locat. n. fin.* D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 9.

5 Illud extra diſputationis aleam ponimus, decimas, quas poſſeſſor ex fructibus annuatim domino præſtare cogitur, non deberi, ſi, propter bellum, arvum colere non potuerit. Sunt enim pars fructuum, qui naſcentur, ut ultra peti, aut præſtari non debeant, quàm quatenus fructus provenit. *text. in l. ſi debitor* 39. *ff. de contrah. empt. l. cum certus* 5. *ff. de tritic. vin. & ol. leg.* Si enim nihil

hil nascatur, deficit actio, super qua Cap. 8
contractum est, ergo cum desinit id quod in obligatione est, ex eo quoque nihil præstari debet; non enim decem sunt, ubi desunt noveni. Pantzschman. *d. quæst.* 17. *n.* 102. *& seqq.* Manz. *dissert. An defectus fructuum &c. quæst.* 10. *n.* 5. *& seqq.* Mevius *in discuss. levam. debit. inop. cap.* 4. *n.* 71. *& seqq.* Valasc. *tract. de jure Emphyt. quæst.* 27. *n.* 28. *&* 40. Confer Carpzov. *tract. Asyl. debitor. cap.* 2. *thes.* 39. *n.* 93. *& seqq.* Castill. Sotomaj. *quotid controv. forens. lib.* 6. *de cert. decimar. cap.* 6 *n.* 23. Gudelin. *de Jur. Noviss. lib.* 3. *cap.* 8. *vers. eâdem ratione, in fine.*

Quid si decimarum loco, ex pacto, 6
vel consuetudine certa pecunia quotannis domino solvatur (quod frequenter in nostra Diocœsi accedit in cannabe, *die niet in schoven, maer met hontgelt betaelt wert)* debebiturne solita summa, cum propter bellum ager non cultus, ac propterea fruges natæ non sunt? Hanc conventionem, vel consuetudinem non

malè

Cap.8 malè ita interpretabimur, ut non debeat exacta fieri indagatio frugum, dum ad eam evitandam maluerit possessor sese certo oneri subjicere, promiseritque, utcunque cadant fructus, certam summam annuam præstare; quare eandem summam esse solvendam, etsi fruges per casus fortuitos fuerint modicæ. Si verò bellum effecit, ut nulli fructus percepti fuerint, putaverim idem esse observandum, quod circa decimas ipsas jam modò statuimus. Mevius *d. cap.*4. *n.* 75.76.77. Manz. *d. quæst.* 10. *n.* 13.

7 De eo quæsitum fuit. Vendidi alicui fundum, habitâ fide de pretio, pacto convento, ut donec solvatur pretium, certa merces quotannis præstaretur, si per populationem bellicam, vel aliam quamcunque labem, emptor fructus nullos perceperit, poteritne remissionem mercedis postulare, uti in emptore fructuum paulo superius asseruimus? Quod omnino negandum est. Illa enim pensio magis videtur dari pro interesse pretii non soluti, quàm in compensa-

tionem

ionem fructuum percipiendorum. Alexand. *lib.* 5. *consil.* 121. Mozz. *de contract. tit. de accident. locat. n.* 37. *& seqq.* Caroc. *tract. locat. part.* 4. *quæst.* 18. *n.* 34. Valasc. *d. quæst.* 27. *n.* 52. Emptor autem ad usuras pretii tenetur, etiamsi nullos omnino fructus perceperit, vel percipere potuerit Moller. *ad constit. Saxon. part.* 2. *const.* 30. *n.* 9. Carpzov. *ad eand. const.* 30. *defin.* 6. *n.* 7. *& part.* 1. *decis. illustr.* 11. *n.* 17. Cui consonat Tilense apud Gelros statutum, *tit.* 20. *van Cooinge art.* 3. Nec mirum, cum perfectâ venditione, totius rei interitus ad emptorem spectasset, nedum fructuum. *. cum autem* 4. *Inst. de Empt. vend.* Alex. *l. cons.* 121. *n.* 6. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 35. Quod & apud nos obtinet, etiamsi solennis traditio fundi non intervenerit, vel vectigal quadragesimi nummi solutum non fuerit, nihil morante Carolinâ constitutione *anni* 1529. Groenew. *de legib. abrog. ad* §. 3. *Instit. de Empt. vend. n.* 2. 3. Quanquam non diffiteor, esse alios, qui periculum rerum immobi-

Cap. 8

8

9

10

11

Cap. 9 bilium, non nisi post judicialem mancipationem in emptorem rejiciunt. Iperenses in Flandria. *Costuym. der Stad en Poorterye van Ypre rub.* 13. *van Verkoopinge art.* 4.

CAPUT NONUM.

De remissione usurarum hypothecariis, vel etiam chirographariis debitoribus facienda, vel non.

SUMMARIA.

1. *Conductor qui propter devastationes hostiles, inundationes, & similes causas prædio uti frui non potuit, an tenetur reditum annuum solvere? Latè examinatur.*
2. *Quoties bello, inundatione, & similibus calamitatibus res occupantur, & possessores ejiciuntur, perinde est, ac si eædem interiissent.*

3. *Id*

3. *Id quod Guillielmus Princeps Arausionensis in Comitatu Burano statuerat.* Cap. 9

4. *Nostratium redituum annuorum natura asseritur.*

5. *Chirographarius debitor ob vastationem hostilem non potest petere remissionem à promisso.*

6. 7. 15. *Ordinum nostratium placitum circa reditus Chirographarios tempore belli decursos refertur.*

8. *Alii putant æquum esse, ut reditus annui, tam ex chirographariis, quàm ex hypothecariis cautionibus debiti, tempore belli decursi, remitti debeant pro parte.*

9. *Seditio Romanorum, ob nimis rigorosam usurarum, tempore belli decursarum, exactionem, refertur.*

10. *Æquitas observanda est circa exactiones usurarum, tempore belli decursarum.*

11. 12. *Senatus Romani difficultas circa earundem exactiones temperata, ex Tacito ostenditur.*

13. *Ejus*

Cap. 9 13. *Ejus æquitas.*

14. *Recensentur casus, quibus iniquissimum foret, usuras tempore belli decursas remittere.*

16. *Senecæ judicium, circa usuras tempore belli debitas, consonat cum Ordinum nostratium placito.*

PErgamus ad alias annuas præstationes, & pensitationes, & quidem primò ad annuos reditus, in quorum securitatem fundus hypothecæ suppositus est.

1 Si propter devastationes hostiles, inundationes, & similes causas, villicus, debitor meus fundo uti frui non potuerit, tenebiturne nihilominus hunc reditum solvere? Interest dignoscere naturam horum annuorum redituum. Sunt enim ubi reditus ille merè realis est, quasi emptio partis prædii, cui innititur. Itaque si tali prædio propter bellum, inundationem, aliamve vim majorem uti frui non potuerit debitor, æquum est, ut

ut ille ferat partem damni totius prædii, Cap. 9.
cujus portionem emptione annui reditus sibi acquisivit. Nec mirum, cum ea it istius reditus natura, ut, simulac solenniter super prædio constitutus est, nulla amplius remaneat personæ obligatio, nisi solo evictionis nomine. Quare, prædio pereunte, nulla actio, aut regressus in personam venditoris datur, uti latius demonstravi *in comment. ad Novell. const. Ultraj. art. 20. n. 38. & seqq.* Jam autem quoties bello, inun- 2
datione, & similibus calamitatibus res occupantur, & possessores ejiciuntur, ut nec frui iis liceat, Jurisprudentia hunc casum æstimat, ac si res interiissent. *arg. l. si is qui 66. §. 2. ff. de furt.* Sicut & fundus pro perempto habetur, qui tutò possideri nequit. *l. cum unus 12. §. fin. ff. de reb. auctor. judic. poss. l. possideri 3. §. Labeo 17. ff. de acquir. possess.* Ex quo fit, ut debitori remissio hujus annui reditus sit concedenda pro rata temporis, quo fundo uti frui non potuit. Goris *in adversar. tract. 2. cap. 3. n. 8.*

Cap. 9 Mev. *d. cap.* 4. *n.* 61. *& seqq. & part.* 4. *decis. Vismar.* 402. Carpzov. *d. tract. de Asyl. debit. cap.* 2. *art.* 39. *n.* 88. *& seqq.* Edict. Ordin. Gelr. *anni* 1591. *renovatum ann.* 1675. *vers. inden eersten.* Idem,
3 primus Reipublicæ nostræ fundator Guilielmus Princeps Arausionensis, gloriosissimæ recordationis, in Comitatu Burano statuerat, *edicto anni* 1579. *7. Februarii art.* 7. Nostratium annuo-
4 rum redituum alia ratio est. Apud nos enim pro isto reditu solvendo personalis quoque actio contra debitorem, ejusque hæredem competit, hypotheca autem, in securitatem crediti, accessoria est; uti jam pridem docui *in d. comment. d. art.* 20. *n.* 42. ut propterea, nec ob bellum, nec inundationem, aut similem causam, redituum remissio facienda sit. Mevius *d. cap.* 4. *n.* 69. *& d. decis.* 402. *n.* 2. 3. Manz. *dissert. An defectus fructuum &c. quæst.* 4. *n.* 2.

5 Multo minus debitor chirographarius, & qui ex mutuo, aliove contractu simplici, & purè personali obligatus

tus est, remissionem, vel liberationem, Cap. 9
à promisso petere potest, ex eo, quod prædia sua ob vastationem hostilem inculta fuerint. Illud siquidem damnum jure dominii sustinet debitor, absque ullo creditoris præjudicio. *l. 6. C. de pignerat. act. l. 23. ff. de R. I. l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt.* Carpzov. *d. cap. 2. n. 6.* Mevius *d. cap. 4. n 69.* Quod & 6
Illustrissimi Ordines nostrates præfato edicto sanciverunt, dum modicas inducias, & leve solamen debitoribus concesserunt *art.* 6. cujus verba latinè hæc sonant. *Reditus annui hypothecâ subnixi, vel chirographariis cautionibus debiti, anno 1672. decursi, non nisi post octimestre à promulgatione hujus edicti, iidemque reditus anno 1673. decursi, non nisi post duplicatum eundem terminum in jure petuntor, & exiguntor. Post unumquemque terminum, creditoribus ad consequendos suos reditus diplomata paratæ executionis conceduntor.* Item *art. 7. Debitoribus, qui pro pecunia ante Kalendas Maji 1672. fænori sumpta, ampliores,*

Cap. 9 *quàm trientes usuras promiserunt, nihilominus trientibus usuris annorum* 1672. *&* 1673. *satisfacere fas, derogatoria huic anterior stipulatio inutilis esto.* Itaque
7 cum, super iisdem annis, trientibus u-
suris, debitorem, ut ut hypothecam de-
paderit, obnoxium sinit Legislator, pa-
làm est, quantum ad reliqua, remissio-
nem ei planè denegari. Alii æquius re-
8 putant, ut, belli tempore, chirographa-
riis, multo magis hypothecariis debito-
ribus majus solatium detur, imò quæ-
dam usurarum remissio. Postquam e-
nim omnia per bellorum calamitates
deperdita sunt, iniquum videtur ad ri-
gorem juris omnia expendere: verùm
æquitas & Christiana charitas obser-
vanda est. Quid namque iniquius, quam
debitores, ferro, flammâ, prædâ, vel
onerum gravitate, & sic absque sua cul-
pa, facultatibus suis lapsos, & spolia-
tos, ad restim penitus redigere, quod
certè fieret, si eos qui ex prædiis, & aliis
rebus suis, tempore belli, fructus nullos
perceperunt, solutione usurarum, in-

fausto

faufto eodem tempore decurfarum, o- Cap. 9
nerare vellemus. Inde apud Romanos 9
orta fuit prima feditio, quam fic defcribit Livius *lib. 2. hiftor. cap. 23. Civitas fecum ipfa difcors, inteftino flagrabat odio, maximè propter nexos ob æs alienum. Fremebat fe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus fe captos & oppreffos effe; tutioremque in bello quam in pace, inter hoftes, quam inter cives, libertatem plebis effe.* Cum autem veteranus miles fe in forum projeciffet, atque circumfufa effet turba, propè in concionis modum ajebat. *Sabino bello fe militantem, quia propter populationem agri non fructu modo caruerit, fed villa incenfa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo fuo tempore imperatum, æs alienum feciffe. Id cumulatum ufuris, primò fe agro paterno avitoque exuiffe, deinde fortunis aliis, poftremò velut tabem perveniffe ad corpus, ductum fe à creditore non in fervitium, fed in ergaftulum, & carnificinam effe.* Pergit idem *cap. 27. Plebi creverant animi, & longè aliâ, quàm*

 primo

Cap. 9 *primo inſtituerant, viâ graſſabantur, deſperato enim conſulum, ſenatuſque auxilio, quum in jus duci debitorem vidiſſent, undique convolabant, neque decretum exaudiri conſulis, præ ſtrepitu & clamore, poterat; neque cum decreviſſet, quiſquam obtemperabat; vi agebatur, metuſque omnis & periculum libertatis, quum in conſpectu conſulis ſinguli à pluribus violarentur, in creditores à debitoribus verterat.*

10 *&c.* Illud quidem verum manet, contractam eſſe inter creditorem & debitorem, perſonalem actionem, verùm *non idem armorum atque legum tempus eſt.* Plutarch. Et æquitas rigori juris præferenda, nam, ut Ariſtoteles ait, *æquitas nihil aliud eſt quam ſupplementum ejus quod lex prætermiſit*, quare rectè dixit Cicero *in orat. pro Cecinn. Omninò jam benè agis, à verbis enim recedis, & æquitate uteris.* Quo ſpectat illud JC[ti.] Pauli *in l. 2. §. 5. in fin. ff. de aqua & aq. pluv. arcend. Hæc æquitas ſuggerit, etſi jure deficiamur:* quin imò in fœnoris negotio propriè non ſpectamus ſolam debitoris

toris perſonam, ſed facultates ejus unde Cap. 9
fœnus reddi poſſet, inopi enim vix quiſquam fœnori dat pecuniam. Etſi ergo creditor nummis ſuis non ſine magno ſuo damno careat, quando tamen id non ex malitia debitoris, ſed adverſitate caſuum proficiſcitur, quâ ita preſſus debitor, ut etſi lubenter velit, præſtare non poſſit quæ debet, non videtur creditor excuſandus ab uſurarum imminutione. Quid enim ſi æs alienum conflatum ſit ex emptione prædiorum? Puta, colonus fundum emit à proprietario, cum autem omnem pecuniam non haberet præſentem, dimidium pretii appendit domino, pro reliquo, datâ cautione hypothecariâ, uſuras promittit. Supervenit bellum, *ager eſt depopulatus, prædæque rerum agreſtium actæ, nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum*, ut cum Livio loquar *lib. 5. cap. 24.* Si in conductione manſiſſet, integram penſionem remittere ei debuiſſet dominus; an non jam vehementer, iniquum foret, ut ex eo ſolo quod dominium

Cap.9 ſibi acquiſivit ſub dicto onere, integras uſuras ſolvere cogeretur iſtius pecuniæ, quæ ſolùm debetur propter prædium, ex quo per bellum nihil omnino percipere potuit? Cui conſequens erit, ut ſi, quod plerumque fit, emptor pecuniâ nudatus ſit, rigoroſus autem creditor decurſas tempore belli uſuras in judicio perſequatur, novus dominus pati debeat diſtractionem prædii ſui, quod vix ex flamma, ac direptionibus reliquum habet, cujus pretium, cum ob devaſtationem bellicam vile, imò infra dimidium juſti plerumque eſt, vidimus ſæpe priorem dominum denuo prædium ſub haſta emere, ſolâ iſtâ reſiduâ pecuniâ, quo facto, cum nece debitoris, recuperabit rem, unàque lucrabitur dimidiatum pretium tempore contractus ſolutum: quid eſt, ſi non
11 hæc ipſa durities eſt? Similem difficultatem, cum, poſt bella civilia, agnoſceret Senatus Romanus, rem ità temperatam eſſe refert Tacitus *lib.* 6. *Annal. Inopiâ rei nummariæ, commoto ſimul*

omnium

omnium ære alieno; & quia tot damnatis, Cap.9
bonisque eorum divenditis, ſignatum argentum fiſco vel ærario attinebatur, ad hoc Senatus præſcripſerat, duas quiſque fœnoris partes in agris per Italiam conlocaret. Sed creditores in ſolidum appellabant, nec decorum appellatis, minuere fidem. Ita primò concurſatio, & preces; dein ſtrepere Prætoris tribunal, eaque, quæ remedio quæſita, venditio, & emptio, in contrarium mutari; quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi ſecutâ vilitate, quanto quis obæratior ægrius diſtrahebant, multique fortunis provolvebantur: everſio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat: donec tulit opem Cæſar, diſpoſito per menſas millies ſeſtertio, factaque mutuandi copiâ ſine uſuris per triennium, ſi debitor populo in duplum prædiis caviſſet. Sic refecta fides, & paulatim privati quoque creditores reperti, neque emptio agrorum exercita ad formam ſenatus-conſulti, acribus, ut fermè talia, initiis, incurioſo fine. Quare Rex Hiſpaniæ, ne 12

Cap. 9 ære alieno preſſi peſſum darentur, præfato edicto anni 1587. cavit, ut etiam in reditibus annuis ex chirographariis cautionibus debitis, ſi notabilis jactura debitoribus obvenerit, dilatio congrua concederetur, ubi verò omnibus proventibus exciderint, remiſſio fieret pro rata temporis, & proportione damni, habitâ etiam ratione ſtatus, conditionisque debitorum, quibus iſta remiſſio proficeret. Zypæus *in notit. jur. Belgic. tit. de reditibus. verſ. vaſtatis:* damna enim diviſa minus lædunt, & æquum viſum fuit, ut uterque tam creditor quam debitor de publico malo aliquid participet. Juſtius ergò remittetur aliquid debitoribus, quam eorum extremâ pernicie omne extorquebitur.

13 In ſimili cauſa circa uſurarum modum iſtam æquitatem obſervavit Imperator Juſtinianus *Novell.* 32. *cap.* 1. additâ hâc eleganti ratione, *Ea lex omnibus, humanitatis & pietatis de ſe ſpecimen præbet, & tam egenorum neceſſitati medetur, quam creditoribus nonnihil adfert ſolatii.*

Quare

Quare Ulpianus *in l. ſi ſervos 25. in fin. ff. de pignerat. act.* accommodatè ad propoſitum noſtrum ait: *mediè igitur hæc à judice erunt diſpicienda, ut neque delicatus debitor, neque oneroſus creditor audiatur.* Idem Ulpianus *in l. 33. ff. de uſuris* creditorem monet, *ne acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum.* Cap. 9

Poſſent rurſus caſus evenire, ubi iniquiſſimum foret, uſuras tempore belli decurſas remittere, vel imminuere. Ut ecce, venditori mercium Gallicarum, vinario, cereviſiario, ſalario, oleario, piſcario, aviario, & ſimilibus, dedi fœnori nummos. Illi enim imprimis apud nos immodicam pecuniam ſub hoſtibus lucrati ſunt, & quidem fœneratitiâ meâ pecuniâ, nonne jam crudele eſſet, ſi mihi ſors mea ferè ſterilis, debitori autem meo lucroſiſſima foret? Quod certè contingeret, ſi tali debitori, vel minima uſurarum remiſſio daretur. 14

Quare Legiſlatori noſtro non placuit illud circa 15

Cap. 9 ca usuras remittendas præfatum judicis arbitrium, in quo non raro favor dominatur, & in quæstione de bono, & æquo, sub auctoritate juris perniciosè sæpe erratur, uti ait JC. Paulus *in l.* 91. §. 3. *ff. de V. O.* Itaque placuit in via regia manere, & cum legibus procedere potius, quàm ab iis discedendo, in errorem posse incidere. In simili Mevius *part.* 5. *decis. Vismar.* 402. *n.* 9. 10. Quod, si durum aliquis putaverit, is miseriam suam soletur ab Ulpiano *in l.* 12. §. 1. *ff. qui & à quib. manumiss. Perquam durum*
16 *est, sed ita lex scripta est.* Hoc Legislatoris nostri placitum graviter adornat Seneca *lib.* 7. *de Benefic. cap.* 16. *Quid tu tam imprudentes judicas majores nostros fuisse, ut non intelligerent, iniquissimum esse eodem loco haberi eum, qui pecuniam, quam à creditore acceperat, libidine, aut aleâ absumpsit, & eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit? Nullam excusationem receperunt: ut homines scirent fidem utique præstandam. Satius enim erat à paucis*

cis

cis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. Cap. 10

CAPUT DECIMUM.

De canone emphyteutico, ob sterilitatem, vel bellum, remittendo.

SUMMARIA.

1. *Emphyteuta an potest remissionem canonis postulare ob sterilitatem? Ajentium sententia refertur.*
2. *Negantium defenditur.*
3. 5. *Emphyteuta an potest remissionem impetrare si vi hostili, vel aquarum inundatione fundo emphyteutico uti frui non potuerit?*
4. *Fundo extincto non debetur canon emphyteuticus.*
5. *Levicula pensitatio fundi debetur domino, etsi arvum colere non potuerit emphyteuta.*

6. *Exi-*

Cap. 10 6. *Exiguus canon præfixo tempore, etiam belli, non ſolutus, duplicatò ſolvi debet.*

7. *Quanta eſt levicula penſitatio?*

OBviam procedunt emphyteutæ, qui vel ſterilitatem ſuſtinuerunt, vel ob furores bellicos, & aquarum inundationes, fundo emphyteutico frui non potuerunt, remiſſionem, vel veniam penſionis petentes: quid cum iis faciendum erit? Accedant primò, qui ſterilitatem obtendunt. Quid vultis? Ajunt ſe non modicam penſionem promiſiſſe, verùm talem ex cujus gravitate & comparatione cum fructibus, qui ſperari poſſent, appareat, locationem potius juſtâ mercede factam, quam emphyteuticum contractum initum fuiſſe. Itaque penſionem fructibus condignam, pro uſu rei potius, quam in recognitionem directi dominii promiſſam eſſe. Ergò ſibi ſuccurri deberi, hactenus, ut vel à penſionis ſolutione prorſus liberen-

1

rentur, vel ejus remissio aliqua sit danda arbitrio boni viri. Horum Patroni sunt Gail 2. *observ.* 23. *n.* 25. Caldas *quæst. forens. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 8. *& seqq.* Pantzschmann. *d. quæst.* 17. *n.* 8. Faber *in Cod. tit. de jur. Emphyt. defin.* 36. *n.* 3. 4. Grivell. *decis.* 9. *n.* 4. Jo. Franc. Andreol. *controv.* 119. *n.* 7. *& seqq.* Grotius *lib.* 3. *Isag. part.* 18. *n.* 7. *&* 9. Vinnius *ad* §. 3. *Instit. de locat. conduct. n.* 10. Cap. 10

2 Regerit dominus, Imperatorem Zenonem *in l.* 1. *C. de jur. Emphyt.* constituisse, totius & universæ rei interitum ad se solùm spectare, hoc autem nihil commune habere, cum ejus fertilitate, aut sterilitate, cujus utriusque vis in fructibus consistit, commodo & incommodo emphyteutarum. Igitur cum oborta sterilitas fructibus solis damnum attulerit, non fundo, omne illud damnum ad emphyteutas pertinere, qui pensionem suam solummodo præstant in recognitionem directi dominii, salvam esse totius rei substantiam, & se ejus dominum. Quanquam autem emphyteu-

Cap. 10 teutæ, qui modicam ſaltem penſionem præſtant, minus habeant quod conquerantur, cum hunc caſum fortuitum vilitate penſionis compenſare debeant, nihil tamen impedire quo minus penſio dicenda ſit dari in recognitionem dominii directi, etſi magna ea fuerit, cum penſionis magnitudo, utcunque fructibus reſpondeat, non mutet naturam emphyteuſeos, jus enim utilis dominii ſemper eam ſeparat à conductione. Magis autem & minus non variant ſpecies, ut Philoſophi loquuntur. Ergò hoc damnum ab iis patienter eſſe ferendum, cum ad quos pertinet dominii utilitas, ad eoſdem ſpectare ejuſdem inutilitatem, vel ipſa ratio dictat. Quin imò hanc eſſe originem hujus, & nominis, & contractus, ut fundi ſteriles perpetuò fruendi alicui traderentur. Quare emphyteutas cogitare debere, quaſi ſinguli ſterilitatis anni initium emphyteuſeos fuerint. Hoc reſponſo emphyteutas de ſterilitate queſtos abſque ſolatio dimitto, cum præceptore meo
D. Ant.

D. Ant. Matthæo. *tract. de obligat. disput. de Emphyth.* 22. *thes.* 10. Sichard. *ad l.* 8. *C. locat. n.* 5. Connan. *lib.* 7. *comment. cap.* 12. *n.* 7. Fachin. *lib.* 1. *controv. cap.* 89. Diod. Tulden. *ad tit. Cod. de jur. Emphyt. n.* 7. Zoes. *ad Pand. tit. locat. n.* 88. Carpzov. *part.* 2. *const.* 38. *defin.* 19. *n.* 1. *& seqq. & tract. de asyl. debit. cap.* 2. *art.* 42. *n.* 151. Christin. *vol.* 3. *decis.* 119. *n.* 8. Valasc. *de jur. Emphyt. quæst.* 27. *n.* 7. 9. 12. *vers. Et hæc sunt.* Cap. 10

Accersantur jam de vi hostili, vel de aquarum inundatione queruli. Hi inquiunt, & fatentur, pensionem, ut ut magnam, dari in recognitionem directi dominii, salvam quoque mansisse prædii emphyteutici substantiam, verùm se possessionibus suis vi expulsos, itaque non tantùm ipsam fruitionem sibi esse ablatam, sed & jus ingrediendi fundum, eoque quomodocumque utendi. Ergo quantum ad se attinet, periisse fundum videri, JC[ti.] Pauli responso *in l. cum unus.* 12. §. *ult. ff. de reb. auctor. jud. possid. Si propter*, ait, *naturam rei*, 3

 velu-

Cap.10 *veluti si prædium inundatum sit, aut propter latronum potentiam non potest possideri, rectè dicitur non esse quod possideatur.*
4 Fundo autem extincto, non deberi pensionem, non inficias iturum dominum, cum id præfatâ Zenonis constitutione sancitum sit quam apertissimè *in d. l. 1. C. de jur. Emphyt. & ibi Sichard. Mornac.* Surdus *decis.* 198. *n.* 9. *& seqq. & decis.* 226. *n.* 46. Alvar. Valasc. *tract. de jur. Emphyt. quæst.* 27. *n.* 1. *&* 13. Faber *d. tit. de jur. Emphyt. defin.* 36. *n.* 1. 2. Grivell. *d. decis.* 9. *n.* 7. Carpzov. *d. def.* 19. *n.* 10. Se quidem fateri si medii temporis fructus recuperassent, vel tantillum, unde pensio commodè solvi potuisset, vel si exercitus præteriens per lasciviam aliquid abstulisset, vel culturam aliquo modo turbasset, remissionem non fuisse efflagitaturos; verùm agrum per biennium ab hostibus occupatum, imò per triennium aquis inundatum fuisse, ut nulla fruendi potentia fuerit, dum interea temporis ipsimet ferè languore, & inedia fuerint per-

perempti. Cum igitur, uſu juris, toto Cap.10
illo tempore non videantur poſſediſſe fundum, nomine domini, æquum eſſe, ut penſitatione intermediâ abſolvantur. Secundùm hos ſententiam fero cum D. Matthæo *d. theſ.* 10. *in fin. & theſ.* 11. Sichard. *ad d. l.* 1. *C. de jur. Emphyt. n.* 31. Surd. *deciſ. Mantuan.* 326. *n.* 57. *& ſeqq.* Gail. *d. obſerv.* 23. *n.* 23. Fachin. *d. lib.* 1. *controv.* 90. Cævall. *comm. opin. quæſt.* 441. Choppin. *de privil. Ruſtic. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 3. *de uſufr. præd. ſacerdot. n.* 8. Charond. *en ſes memor. obſerv. verb. bail emphyteutique. verſ. durant le temps.* Valaſc. *d. quæſt.* 27. *n.* 13. Carpzov. *d. def.* 19. *n.* 8. 9. *& in reſponſ. Elector. lib.* 1. *tit.* 9. *reſp.* 91. *per tot.* Zoeſ. *ad d. tit. ff. locat. n.* 89. Grot. *d. part.* 18. *n.* 8. Mev. *in levam debit. inop. cap.* 1. *n.* 138. *& cap.* 4. *n.* 81. Chriſtin. *d. deciſ.* 119. *n.* 9. Non 5
erravero tamen, ſi illud temperamentum hic adhibuero, ut ſi levicula fuerit penſitatio fundi, & honoraria magis, quàm utilis, fructuariaque (verbi gratiâ *een paer handtſchoenen.* Id eſt *par chi-*

Cap 10 *rothecarum; Een koppel Conÿnen, par cuniculorum: Een taecke Wÿns, Cantharus vini* (qui canon apud nos modicâ pecuniâ redimitur) non ſit danda ejus remiſſio, vel imminutio, etſi propter bellum arvum interim colere nequiverit colonus. Choppin. *ad mores Pariſ. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 8. Clarus. §. *Emphyteuſis quæſt.* 8. *n.* 6. (utcunque illud diſplicuerit Valaſco *d. quæſt.* 27. *n.* 16.

6 Quod & alicubi eatenus placuit, ut ſi exiguus ille canon, ſtato tempore, ſolutus non ſit, idem duplicatò appendi debeat. Ita Rex Hiſpaniæ in Provinciis Belgicis cavit. *Anno* 1587. Ordines Gelr. *edict. anni* 1591. *renovat. ann.* 1675. *art. Welcke quytſchelding & ſeqq.*

7 Levicula autem penſitatio apud eos eſt, quæ ſeptimam partem ſolitorum proventuum non excedit, quæ verò eam portionem ſuperat, rationem annuæ mercedis refert.

Cap.11

CAPUT UNDECIMUM.

De contractibus tempore belli initis.

SUMMARIA.

1. *Remissio mercedis cessat, si tempore belli contractus initus sit.*
2. *Gelrorum edictum, circa idem subjectum, refertur.*
3. *Qui domum ruinosam sciens conduxit, tenetur ad integram mercedem.*
4. *Si quis sciens aliquod infortunium rei conductæ imminere, & nihilominus conducere præsumpserit, illud damnum æquo animo ferre debet.*
5. *Si tempore contractus vigebant hospitationes militum, non potest conductor exinde petere mercedis remissionem.*
6. *Emphyteuta non excusabitur à canone solvendo, etsi nullos perceperit fru-*

Cap. II *fructus, si flagrante jam bello Emphyteusis constituta fuerit.*
7. *Non auditur conductor, qui post finitum bellum, vel discessum hostium, super veteri mercede cum domino transegit.*
8. *Quod confirmatur* Ordinum *placito.*
9. *Edicto Principis Arausionensis Guilielmi, in Comitatu Burano.*
10. *Si tamen transactio spontanea fuerit, non in judicio, vel viâ executivâ, & sic metu facta.*
11. *Si substantia rei conductæ prorsus sublata est, remittitur pensio, imò nulla debetur, etsi tempore belli contractus initus sit.*
12. *Cujus ratio redditur.*
13. *Item si per obsidionem universa seges per milites demessa, vel proculcata fuerit.*
14. *Si bellum exarserit sævius, quàm erat tempore contractus, remissionem conductor impetrare potest.*
15. *Cujus ratio adfertur.*
16. *Si nominatim conventum sit, ut si belli*

belli causa conductor frui non possit, Cap. 11
remissio daretur, hæc conventio respicit solùm calamitatem præsentem, non futuram.

17. *Quid si cum hostibus contractus initus sit, super prædiis ab iis jure belli occupatis?*

18. *Hæc quæstio in quatuor partes dispescitur.*

19. *Conductor qui hostilitatis tempore, Procuratori Regio solvit mercedem priori domino promissam, liberatur.*

20. *Post finitam locationem licet conductori idem prædium ab hoste conducere.*

21. *Quod ex Jure Gentium, & ratione probatur.*

22. *Dominus contentus esse debet post discessum hostium, viliori cum iis conventâ mercede.*

23. *Modò omnis fraus absuerit.*

24. *Si malâ fide, & nocendi animo conductor cum hoste contraxerit, arbitrariè punitur.*

Cap. 11 25. 26. *Pœna eorum qui bona bello capta, vel potius furto ſubditis ablata à prædonibus ilico coëmunt.*

27. *Referuntur varia ſtatuta, quæ furtivarum rerum emptores pari cum furibus pœnâ puniunt.*

28. *Satius tamen erit, ut arbitrariè puniantur.*

29. *Quod noſtrâ, Hollandiæ, & aliorum praxi confirmatur.*

30. *Proferuntur Edicta Ordinum Generalium, Provinciæ Ultrajectinæ, & Gelriæ, pœnæque in emptores furtivarum à Gallis emptarum rerum.*

31. *Quadrupli, aliæve pœnæ legales, quæ parti læſæ applicantur, in deſuetudinem abierunt.*

32. *Soli fiſco competit jus perſequendi pœnas.*

33. *Quadrupli tamen pœna applicatur domino damnum paſſo, contra rerum furtivarum, vel domino à Gallis ablatarum emptores, ex edictis præfatis.*

34. *Prior dominus post restitutam Provinciam ilicò potest expellere fiscalem conductorem.* Cap. 11

35. *Ratio adfertur cur postliminium solùm sit in dominio, non item in possessione.*

36. *Propter jus postliminii res ab hostibus occupatæ veniunt in judicium familiæ erciscundæ.*

37. *Legari possunt.*

38. *Si Fiscus hostilis prædium jure belli possessum alienaverit, recuperari poterit ab eo qui titulum à Fisco habuit.*



QUæ hactenus disseruimus de remissione facienda propter bellum, cessant, si tempore belli contractus initus sit. 1 Frustra enim quis calamitatem, vel difficultatem temporum caussabitur, qui cum jam sub ea versaretur, contraxit, cum culpa ei imputanda sit, quod tam periculoso tempore conduxerit, intelligaturque ita se de-

Cap. 11 vinxisse, quod velit, non attentis temporum præsentium periculis, & spretis quibuscunque casibus fortuitis, promissa præstare, præsertim si propter ipsum bellum viliori pretio locatio facta sit. Jo. Philipp. *respons.* 45. *n.* 4. *in fin.* Wamez. *cent.* 3. *consil. Civil.* 23. *n.* 14. *& consil.* 74. *n.* 3. 4. Caroc. *tract. de Locat. part.* 4. *quæst.* 18. *n.* 3. *& seqq.* Gail. 2. *observ.* 23. *n.* 21. Mozz. *de contract. tit. locat. vers. de accident. n.* 32. Casp. Ant. Thessaur. *lib.* 2. *quæst.* 47. *n.* 2. Carpan. *ad stat. Mediol. tom.* 2. *cap.* 394. *n.* 3. Henr. Kinschot. *resp.* 90. *n.* 3. 4. Koppen *decis.* 27. *n.* 15. Faber *ad d. tit. C. locat. defin.* 30. Maynard. *lib.* 2. *decis.* 80. Charond. *en ses pandect. liv.* 4. *chap.* 15. *vers. Il est vray p. m.* 535. Manz. *in patroc. debit. decad.* 3. *quæst.* 8. *per tot.* Tulden. *ad Inst. tit. de locat. cap.* 7. D. Ant. Matthæus *tract. de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 7. Mevius *part.* 6. *decis. Vismar.* 46. *n.* 6. *& seqq.*
2 Id quod apud Gelros sancitum est in territorio Tilano, & Bommelano, decreto

creto anni 1578. in verbis, *En hier onder ſullen niet gecomprehendeert of begrepen wesen, die ſtaende deſe Troublen gehuert, of penningen om thÿns of renten gelicht, en opgenomen hebben, die evenwel van ſulcke huere, of opgenomen penningen behoorlicke renten ſullen betalen.* Id eſt. *Hoc decreto, ii qui tempore belli prædia conduxerunt, vel pecuniam fœnori acceperunt, non comprehenduntor. Tales debitores promiſſam mercedem, & uſuras ſolitas ſolvunto.* Cap.11

3 Hinc in caſu non abſimili à Doctoribus traditum eſt, eum qui domum ruinoſam ſciens conduxit, teneri ad integram mercedem. Gail. *d. obſervat.* 23. *n.* 6. Manzius *d. quæſt.* 8. *n.* 9. Chriſtin. *ad LL. Mechlin. tit.* 8. *art.* 9. *n.* 2. *in annot. & vol.* 3. *deciſ.* 113. *n.* 3.
4 Imò generaliter, ſi quis ſciens ac prudens aliquod infortunium rei conductæ imminere, vel rem conductam alicui calamitati obnoxiam eſſe, nihilominus conducere præſumpſerit, illud damnum æquo animo ferre, ſibique ſoli imputare debet,

Cap. 11 bet, quippe qui tempus, & conditionem rerum novit; ut per multa argumenta declarant Pantzſchman. *d. part.* 1. *quæſt.* 5. *n.* 6. Manz. *d. quæſt.* 8. *n.* 8. & *ſeqq.* Mevius *d. tract. cap.* 7. *n.* 134. Itaque ſi tempore contractus vigebant ho-
5 ſpitationes militum, fruſtrà conductor mercedis remiſſionem obtendet ex eo, quod articulus ſecundus, ordinationis anni 1674. dimidiatum nummum deducendi poteſtatem concedit iis, qui hoſtilibus militibus hoſpitia præbuerunt. Boſſius *tract. de remiſſ. merced. conduct. n.* 54. *verſ. Item adverte.* Carpan. *d. cap.* 394. *n.* 210. Wamez. *d. conſil.* 74. *n.* 2. Cancer. *part.* 3. *var. reſol. cap.* 15. *n.* 145. Carpzov. *part.* 2. *conſtit.* 37. *deſin.* 15. *n.* 5.

6 Nec emphyteuta à canone ſolvendo excuſabitur, etſi nullos omnino perceperit fructus, ſi flagrante jam bello emphyteuſis conſtituta fuerit, tum enim, ut proſpexiſſe, ita & eum caſum in ſe recepiſſe intelligitur. Valaſc. *tract. de jur. Emphyt. quæſt.* 27. *n.* 18. Manz. *d. quæſt.*

quæst. 8. *n.* 22. Tulden. *ad d. tit. Cod. de* Cap.11
iur. Emphyt. n. 7. *in med.* Multo minus 7
audiendus erit conductor, qui post finitum bellum, vel discessum hostium, super veteri mercede cum domino transegit, hic enim postea conventus objicere non poterit, quod Illustrissimi nostrates Ordines recentius temperamentum circa solvendas tempore belli debitas mercedes edixerint. Etenim per transactionem subsecutam ilico incepit dominus esse novus creditor, ut ex ista nova obligatione conveniri possit conductor ad præstandum id, quod transactione continetur. *Si quid* enim *in posteriori stipulatione novi sit, fortè si conditio, aut dies, aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur, novatio fit obligationis, etsi eadem persona sit à qua postea stipuleris.* Verba sunt Justiniani *in* §. 3. *Inst. quib. mod. tollit. oblig. & ibi Vinn. in comment.* Scivit namque infortunium, & speratam inde mercedis remissionem scire potuit, super qua transigendo, renunciasse juri suo intelligitur. Manzius *d.*
tract.

Cap. 11 *tract. patrocin. debit. decad.* 3. *quæst.* 7. *n.*
8 148. *& seqq.* Quod & disertè caverunt præfati Ordines *sæpe dicto art.* 5. *Ordinationis anni* 1674. hisce verbis. *Behoudens dat daer onder niet begrepen zijn die albereets het voorsz. aengaende mochte hebben geaccordeert , of anders gecontracteert , welcke accoorden en contracten gehouden werden mits desen te zijn, en te sullen blijven van weerde.* Id est. *Quod si inter partes super remissione transactum, vel aliter conventum sit , illud placitum ratum esto.* Idem olim apud Gelros sancitum fuit edicto *anni* 1578. 4. *Februarij. vers. en so eenige.* Per Principem Arausionen-
9 sem Guilielmum in Comitatu Burano
10 *edicto anni* 1579. 7. *Febr. art.*9. Id quod tamen posteriora duo edicta tum demum admittunt, si transactio spontanea fuerit. Cæterum, si, cum locator, in judicio, vel viâ executivâ, solutionem mercedis urgeret, conductor metu perculsus ad transactionem accesserit, atque plus domino solverit, quam postea apparuit, ob indultam mercedis remis-

remiſſionem, eum ſolvere debuiſſe, re- Cap. 11
petitionem indebitæ pecuniæ concedunt conductori.

Quod proximè dicebamus ſtandum eſ- 11
ſe contractui tempore belli inito, id fallit, ſi ſubſtantia rei conductæ prorſus ſublata fuerit, hoc namq; caſu remittetur penſio imò nulla debebitur rei nõ exiſtentis, etſi tempore belli facta ſit conductio, veluti cum ædes hoſtili laſcivie funditus dirutæ ſunt, vel cum pomarium exciſum eſt.
Tum enim locator patientiam utendi 12
fruendi conductori non amplius præſtare poteſt, ad quod tamen tenetur ut mercede potiri queat, uti ſæpius diximus. Boſſ. *d. tit. de remiſſ. merced. n.* 85. Mozz. *tract. de contractib. tit. de accident. locat. n.* 56. Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 5. Garſ. Maſtrill. *deciſ.* 299. *n.* 110. *& ſeqq.* Surdus *deciſ.* 326. *n.* 55. 56. *& conſil.* 197. *n.* 16. Pantzſchmann. *d. quæſt.* 5. *n.* 10. *& quæſt.* 15. *n.* 43. D. Ant. Matthæus *de Auction. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 3. 4. Quod 13
& non malè traductum eſt ad caſum, ubi per obſidionem, univerſa ſeges per

mili-

Cap. II milites demessa, vel proculcata fuit. Charond. *aud. chap.* 15. *p. m.* 535. Papon. *lib.* 13. *tit.* 9. *arr.* 12. *in not. in fin.*

14 Imò si bellum exarserit sævius, majori impetu ruerit, quàm quidem tempore contractus, aliive casus inciderint, ut difficilior inciperet esse fruitio rei, ubi ad deteriora perventum est, & non tantùm homines, verùm & res ex priori statu miserè, violenterque dejecti fuerunt, non putaverim lenius belli tempus obesse, quo minus ex supervenienti graviori flamma levamen remissionis

15 conductori indulgeatur. Belli enim mala, uti gradus, ita & spem habent, nec statim arguemus temeritatis eum, quem spes sua fefellit. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 12. Carpzov. *d. defin.* 15. *n.* 4. Mevius *d. cap.* 7. *n.* 135. D'Espeisses *aud. tit. du louage sect.* 4. *n.* 11. *p. m.* 97.

16 Quid si jam cœpto quidem bello inita sit locatio, sed tamen nominatim convenerit, ut si belli causa conductor frui non posset, remissio mercedis ei daretur? Et rectè responsum, & judicatum

catum puto, conductorem conqueri Cap. II
non posse de eo rerum statu, qui fuerit tempore conductionis, ideoque hanc stipulationem non respicere calamitatem præsentem, sed futuram, graviorемque belli molem, ob quam solam, remissionem mercedis petere posset. Faber *in Cod. d. tit. locat. def.* 30. D. Ant. Matthæus *d. tract. de Auction. lib. 2. cap. 5. n. 7.*

Hæc omnia de contractibus inter ci- 17
ves tempore belli celebratis dicta sunto. Quid si cum hostibus initus contractus sit? Exemplum proponit Ant. Faber *ad d. tit. Cod. locat. defin.* 33. in hunc ferè modum. In Chablasiensi Provincia quidam ante bellum conduxerat prædium à vero Domino ad certos annos. Postea Gallorum & Helvetiorum exercitus Provinciam istam majori ex parte occupavit; quod prædium cum hostis jure belli suum esse assereret, conductor Procuratori Regio conventam cum priori Domino mercedem solvere coactus fuit. Finito tempore hic conductor ab

Cap. 11 hoſte denuò conduxit illud ipſum prædium, quod jam ante bellum, ex cauſa conductionis cum domino contractæ, poſſidebat; ſed longè viliori mercede, quam illa eſſet de qua inter eum & dominum convenerat. Reſtitutâ per pacem Provinciâ, orta lis eſt, inter prædii dominum, & eundem conductorem, de ſolutione, & reconductione hoſti,
18 & cum hoſte facta. In qua lite duæ apud Fabrum quæſtiones ventilatæ: nos, occaſione ejuſdem argumenti, quatuor examinabimus. Prima inſpectio erit, an ille conductor juſtè Procuratori Regio ſolverit mercedem prioris locationis. Secunda, an eidem conductori poſt finitam locationem licuerit, denuo ab hoſte idem prædium conducere. Tertia, an Dominus poſt diſceſſum hoſtium contentus eſſe debeat conventâ cum hoſte viliori mercede, quæ ei ſoluta non inveniretur. Quarta denique, an Dominus ſtare teneatur poſteriori cum hoſte conductioni ad finem temporis conventi.

Quan-

Quantum ad primam quæstionem attinet, non videtur dubium, quin conductor, hostilitatis tempore, justè solverit ei, qui credi volebat, jure belli istud prædium Regi cessisse, & conductorem sibi uni esse obligatum, cui contradicere, aut resistere non poterat conductor, quique armatus ei legem conductionis dicere, atque mercedem extorquere posset. *arg. l. Paulus* 27. §. *ult. ff. de legat.* 2. *l. si filiæ* 88. *ff. de solut.* Faber *d. defin.* 33. Matth. de Afflictis *decis.* 150. *n.* 13. 14. Mornac. *ad l.* 13. *ff. de negot. gest.* Ren. Choppin. *de morib. Paris. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 20. Hottoman. *quæst. illustr.* 5. *vers. Quod si belli.* D. Ant. Matthæus *tract. de Auction. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14. Ad secundam quæstionem, quanquam dici posset, non succurri ei, qui, sciens, prudens alienam rem conduxit ab alio, quàm ab eo quem dominum scivit, ut per hoc nihil egerit. *arg. l. si sciens* 26. *l. rem alienam* 28. *ff. de contrah. empt.* ac propterea dicendus sit, obnoxius esse pristinæ mercedi, commodo

Cap. 21 19

20

Cap. 11 domini, ad quem prædium postlimi-
nio rediit; cum conductione non ab-
eundo, intelligi possit, in priori reman-
sisse. Cum tamen prior illa conductio,
tempore, quod præfinitum erat, elapso,
expiraverit, atque conductor contra-
xerit cum eo, qui, jure belli, prædium
possidebat, non videtur imputari illi
quicquam posse, qui, occupatâ jam
Provinciâ, cum hoste contraxit, atque
prædium ab eo conduxit. Et secun-
dum hanc sententiam à Senatu Sabau-
diæ judicatum esse refert Faber *d. defin.*
33. *n.* 5. quem sequitur D. Matthæus
21 *d. n.* 14. *in fine.* Quod ex jure Gentium
latius prosequitur Grotius *de jur. bell. &*
pacis lib. 3. *cap.* 9. *n.* 4. *& seqq.* Quin i-
mò si non liceret priori conductori præ-
dium illud, quod hactenus conductum
habebat, ab hoste reconducere, impri-
mis finito conductionis tempore, posset
hoc redundare in summam conducto-
ris injuriam, imò perniciem. Ut ecce;
domum quis à proprietario conduxit,
in qua officinam benè instructam habe-
bat,

bat, & à qua tota ejus dependebat ſa- Cap. 11
lus, ſuperveniente bello, Fiſcus hoſti-
lis, jure belli, eam domum ſuam eſſe
aſſeruit, ex qua migrare deberet condu-
ctor, niſi ſecum de mercede paciſci vel-
let; ſi bonâ fide cum eo contraxerit
conductor, ut in conductione manere,
& ſe, ſuamque familiam ſuſtinere poſ-
ſet, non video quid peccaverit, ſi con-
tinuationem conductionis ab eo petie-
rit, ejecto, ob bellum, priori domino.

Veniamus ad tertiam quæſtionem. 22
Ejus reſolutio pendet à ſuperiori illa
ſecunda, quâ demonſtravimus, hoſti-
lem Fiſcum, qui jure belli occupavit
prædium, eſſe iſtius poſſeſſorem, quan-
quam ſub cauſa poſtliminii. Itaque ſi
prior ille conductor, incertus, & igna-
rus, an prædium illud unquam poſtli-
minio ad priorem dominum ſit reverſu-
rum, cum hoſtili Fiſco contraxerit, ut
ſe ſuosque exhibere poſſit, dici nullo
modo poteſt, contra priorem domi-
num, obligationemque in ineunda con-
ductione cum eo contractam, peccaſſe:

Cap 11 cum locator conductorem defendere teneatur, utendi fruendi gratiâ, ut mercedem consequatur, *uti sæpius docuimus*, quod cum facere nequiverit, necesse habuit conductor contrahere cum eo qui erat in possessione, & quidem jure victoriæ, in qua conductorem tuendum susceperat. Grotius *d. cap.* 9. *n.* 6. Quare, conductorem, solvendo mercedem domino, quam hostili Fisco promiserat, defungi posse, etiamsi, ex isto contractu, lucrum aliquod quæsierit, judicavit Senatus Sabaudiæ a-
23 pud Fabrum *d. defin.* 33. Modò tamen omnis fraus abfuerit, atque conductor, rei familiaris tuendæ causâ ad
24 reconductionem accesserit. Cæterum, si reliquator ad hostilem Fiscum proruperit, atque, nocendi animo, rem ei detulerit, ut hactenus debita merces Fisco cederet, & in remunerationem proditionis suæ manere posset in conductione prædii, pactâ collusoriâ mercede, putaverim illud facinus non tantùm non nocere domino, cui integram con-

continuatæ mercedis pecuniam ſolve- Cap. 11
re tenebitur, verùm inſuper arbitrariâ
pœnâ eum eſſe puniendum; quam pœ-
nam ita exaggerat Manzius; ut loris &
ſcorpionibus cædendum talem eſſe pro-
nunciet. *in patroc. debit. decad.* 1. *quæſt.*
2. *n.* 10. *&* 18. Hunc delatorem idem 25
Manzius *d. loc.* ejuſdem numeri habet
cum iis qui bona bello capta, vel po-
tius, furto ſubditis ſubducta, & vi abla-
ta, à prædonibus ilico coëmunt viliſſi-
mo pretio, lucri faciendi cauſâ, quo
iidem, ſuis ſarcinis ac prædis liberi, ad
nova furta ſeſe accingerent. In quos, 26
indignabundus, his verbis invehitur
Damhouderus *in prax. crimin. cap.* 119.
n. 2. „O ſceleratos mercatores! dignos
„vos cenſeo qui cum veſtris auctoribus
„& præraptoribus inter cœlum & ter-
„ram ſemi-ſaltum ſpectanti populo per-
„agatis, ut tali ſpectaculo perterriti cæ-
„teri caveant ab hujuſmodi furibus ab-
„lata furta coëmere, & ipſis liberiorem
„furandi anſam ſuppeditare. Nec diſſi-
militer eos perſtringit Peckius *tract. de*

Cap. II *re nautica. ad tit. ff. de incend. ruin. naufr. l. 3. §. Senatusconsultum* 8. *n.* 6.

27 Hinc videas apud nos, Ordinatione Civicâ *rubr.* 39. *van ordinaire punitien. art.* 5. itidemque Hollandiæ placitis 16. *Decemb.* 1595. *&* 14. *Martii* 1614. *art.* 4. districte sancitum esse, ut furtivarum rerum scienter emptores, pari cum furibus pœnâ puniantur. Consentaneum est Iperense, apud Flandros, statutum *Cost. der Stede en Poorterye van Ypre. rubr.* 21. *art.* 4. Etenim non tantum is qui rapuit, verùm is quoque qui recepit dolo malo, Prætoris edicto tenetur, quia receptores non minus delinquunt, quam aggressores. Ulpiani effato *in l.* 3. *§.* 3. *ff. eod. tit. incend. ruin.* Quod nostrâ parœmiâ efferimus. *Den heelder is*

28 *soo goet, als den steelder.* Quanquam, ut etiam in hoc casu meum interponam judicium, non displicet eorum sententia, qui non eâdem cum furibus, verùm arbitrariâ pœnâ, furtivarum rerum scienter emptores, puniendos esse censent: quos longâ serie recenset Carpzov.

Carpzov. *in prax. crimin. part. 2. quæst.* Cap. 11
87. *n.* 56. *& seqq.* Cui Hollandiæ praxis 29
congruit, quæ contra dictamen præfatorum D. D. Ordinum Hollandiæ placitorum, vix unquam aut perrarò eorundem usum admisit, atque inibi furtivarum rerum emptores dolosi, plerumque ad fustigationem & relegationem, quandoque etiam in pecuniariam pœnam condemnati fuêre. D. Sim. à Leeuwen *lib.* 5. *censur. forens. cap.* 29. *n. fin.* Quod & apud nos frequentatur. Eandem arbitrariam pœnam in tales mercatores statuerunt, in Flandria, Gandenses *rubr.* 11. *art.* 27. Assenedenses *rubr.* 5. *art.* 11. Neoportenses *rub.* 9. *art.* 20. Bouchautenses *rub.* 7. *art.* 14. Nisi quod eædem consuetudines, simili cum furibus pœnâ talium rerum emptores plectant, si, post primam admonitionem & coërcitionem, ab iis iteratò emant.

30 Et licet idem Carpzovius *eâdem quæst.* 87. *n.* 74. *& seqq.* existimet, talium rerum, malæ fidei, emptores teneri so-

Cap. 11 lùm ad æstimationem earundem, si eas consumpserint, aut alienaverint, in Unitis tamen nostris Provinciis sancitum est, ut qui à Gallis, aliisque malitiosis hominibus, furtivas res, cæsas arbores, materiem ruinarum, animalia, mobilia, & similia coëmerint; qui itidem Civium sortes, reditus, debitas mercedes, vel alia bona hostibus manifestaverint, vel sibi quæsiverint, illud damnum quadruplicatò resarcire teneantur. Edict. Ordd. General. 1. April, & 6. Junii 1673. Edict. Ordd. Nostrat. 4. Junii 1674. Gelriæ 30. Junii 1675. *Eos* enim *qui à servo furtim ablata scientes susceperunt, non tantùm de susceptis convenire, sed etiam pœnali actione furti potes*, ajunt Imperatores Dioclet. & Maxim. *in l.* 14.
31 *Cod. de furt.* Quanquam autem, moribus nostris, & ubique ferè, quadrupli, aliæve pœnæ legales, quæ parti læsæ applicabantur, in desuetudinem abierint, relictâ tantum privatis, judicio civili, facultate persequendi id quod sibi abest, seu quod sua interest. Groenew.

new. *tract. de legib. abrog. ad tit. Inst. de* Cap. 11
vi bonor. rapt. & ad tit. C. de pœnis. Zypæus *in notit. Jur. Belg. eod. tit. de Pœnis verſ. pœnæ.* Vinnius *ad §. 26. n.* 1. *Inst. de Action.* Atque ſoli fiſco competat 32
jus perſequendi pœnas. Groenew. *ad tit. C. de his qui accuſ. poſſ. n.* 4. *& d. tit. de Pœnis n.* 2. Placuit tamen Celſiſſimis 33
DD. Ordinibus, ut ea quadrupli pœna applicaretur domino, vel damnum paſſo, ut cum plerumque furtim ablatarum rerum, doloſi mercatores detegi non poſſunt, dominus ſaltem in præfata pœna aliquid ſolatii habere queat ab iis, quos in tali maleficio deprehenderit.

Verùm deſcendamus ad quartam 34
ſuperiorem inſpectionem. In qua intrepidè aſſero, priorem dominum ilico poſſe expellere Fiſcalem illum conductorem, nec dominum reſpicere, ad quantum tempus ille à Fiſco prædium conduxerit. Reverſus enim omnia recuperat, &, quoad illa, fingitur ſemper retro in civitate fuiſſe *l.* 16. *ff. de captiv. & poſtlim.* Dominium namque illud,

Cap. 11 lud, quod Fiscus hostilis habuerat in res ejus, tenebat solùm cum sua causa & conditione revertendi ex jure postliminii, JC[ti.] Pomponii effato *in l. si captivus* 20. *§. verum est* 1. *ff. eod. tit.* ubi ait. *Verum est, expulsis hostibus ex agris, quos ceperint, dominia eorum ad priores dominos redire.* Grotius *d. cap.* 9. *n.* 6. 10. 13. Zouchæus *de jure inter gent. part.* 1. *sect.* 8. *n.* 2. *in med.* Groenew. *de legib. abrogat. ad tit. ff. de captiv. & postlim. revers. n.* 2. Faber *in Cod. ad tit. de postlimin. revers. defin.* 1. *n.* 3. *& seqq.*

35 Quod si quis roget, cur postliminium solum sit in dominio, non item in possessione, ac per consequens, cur non prior dominus intermediam mercedem à conductore exigere valeat? Is sciat, postliminium in quadam fictione consistere, quâ absens fingitur semper præsens fuisse: fictionem autem tantum habere locum in iis quæ juris sunt, non item in iis quæ sunt facti, ut est possessio; jam autem videri non potest is possedisse prædium, quod ab alio possessum

ſum fuit. *l. cum hæredes* 23. *ff. de acquir.* Cap. 11
poſſeſſ. Hanc quæſtionem, in terminis, decidit JC. Papinianus *in l. denique* 19. *ff. ex quib. cauſ. maj.* dum ait. *Denique ſi emptor prius, quàm per uſum ſibi acquireret, ab hoſtibus captus ſit, placet interruptam poſſeßionem poſtliminio non reſtitui; quia hæc ſine poſſeßione non conſtitit: poſſeßio autem plurimum facti habet; cauſa verò facti non continetur poſtliminio.* Quod latius exornant Ant. Faber *in rationalib. & Mornacius ad eand. leg.* 19. Conſentit Perez. *ad tit. Cod. de poſtlim. reverſ. n.* 6.

Eatenus autem poſtliminium nobis 36
reſtituit dominium, ut propter ſolum jus, & ſpem, quam retinemus, amiſſæ rei recuperandæ, id quod apud hoſtes eſt (dummodo ejus generis ſit, quod poſtliminio redire poteſt) in familiæ erciſcundæ judicium veniat, *l.* 22. *§. ult. l.* 23. *ff. famil. erciſc.* Legari poſſit. *l.* 9. 37
ff. de legat. 1. Balth. Ayala *de jur. & offic. bellic. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 36. D. Joan. Voet. *tract. de re milit. cap.* 5. *n.* 11. *in fin.*

Ita

Cap. 11 Ita Romani agrum, extra portam, in quo Annibal caſtra habebat, adeo non amiſſum judicârunt, ut eopſe tempore nihilo minoris venierit quam antè adventum ejus veniſſet. uti apud Livium
38 legimus *lib*. 36. *cap*. 11. Quare, etſi Fiſcus hoſtilis, prædium, quod jure belli poſſidebat, alienaſſet, recuperari nihilominus illud poſſet ab eo, qui titulum à Fiſco habebat. Non aliter enim alienatum intelligitur, quam ſub cauſa, & conditione poſtliminii, quo dominium ilico cœpit ab eo diſcedere. *uti ſupra diximus*. Grotius *d. cap*. 9. *n*. 6. Nam cum virtute bellica factum eſt, ut bona quæ à victoribus fuerant occupata ad priſtinos dominos redierint, non tam recuperata, quam nullo unquam tempore amiſſa videntur. *d. l*. 20. *ff. de captiv. poſtlim. reverſ.* Faber *ad eund. tit. C. de poſtlimin. reverſ. defin*. 1. *n*. 8.

CAPUT

Cap. 12

CAPUT DUODECIMUM.

Conductor ob cauſam belli damnum paſſus, exonerationem ſolummodo mercedis, non id quod intereſt conſequitur, niſi culpâ locatoris damnum evenerit.

SUMMARIA.

1. *Conductor ſolùm remiſſionem mercedis petere poteſt, non id quod intereſt.*
2. *Anticipatè ſoluta merces repeti poteſt ob cauſam belli.*
3. *Refellitur Wameſius.*
4. *Propter non uſum rei conductor agere poteſt contra locatorem.*
5. *Si locatoris culpâ conductor uti frui non potuit fundo, plectitur damno litis æſtimatæ.*
6. *Cujus ratio redditur.*

7. 8. Non

Cap. 12 7. 8. *Non valet pactum, ut locator impune usum rei colono auferre possit.*

9. *Nec refert hoc casu an modicum, an verò magnum damnum fuerit.*

10. *Si in odium locatoris damnum contigerit fructibus, illud non à conductore, sed à locatore ferendum est.*

1 Llud in universum tenendum est, *ubicumque remissionis ratio habetur ex causis supra relatis, non id quod sua interest conductor consequitur, sed mercedis exonerationem pro rata temporis, supra denique damnum seminis ad colonum pertinere declaratur.* verba sunt Ulpiani *in l.* 15. §. 7. *ff. locat.* Ne quod ex æquitate proficiscitur, in iniquitatem degeneret, ac ne dum conductori favere volumus, nimiam locatori, cujus nulla culpa argui potest, injuriam faciamus. Proinde si colonus fundum conductum severit, atque labes tanta facta fuerit, ut omnis seges prostrata ac perdita fuerit, damnum seminis & expensa-

pensarum erit coloni, reliquum autem, Cap 12
locatoris damno; hactenus tamen, ut totius mercedis exonerationem conductori facere teneatur. Itaque quod dicitur conductori prospiciendum esse, ne in damno moretur, non etiam ut lucrum sentiat, usquequaque verum non est. Remanet enim conductor in damno totius seminis & expensarum, non item mercedis, ad quam solam hæc indemnitas pertinet. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 82. Pantzschmann. *d. part.* 1. *quæst.* 2. *n.* 2. Faber *in rational. ad d. l.* 15. §. 7. Zoes. *ad Pandect. tit. locat. n.* 23. Confer D. Ant. Matthæum *de Auction. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. 3.

Nec tantum remittitur pensio non- 2
dum soluta, verùm & ea anticipatè soluta repetitur, iisdem ex causis *d. l.* 15. §. 6. *l.* 33. *ff. eod. tit.* Quare concoque- 3
re non possum, quod tradit Wamez. *cent.* 3. *cons. Civil.* 73. *n.* 9. conductorem, qui totam pensionem solvit, indebitum repetere non posse, quasi remissio magis in retentione & exceptio-

Cap. 12 ne, quam in petitione & actione conductoris consistat. Contrà, præfatæ leges
4 dictant, propter non usum rei, adversus locatorem ex conducto agi posse, ut qui non præstiterit conductori frui licere, ad quod tenebatur: nec enim æquum foret mercedem à conductore præstari etiam ejus temporis, quo fruitus non est, tum quoque cum justa causa fuit, propter quam frui non potuerit. *l.* 30. §. 1. *ff. locat.* Nam ut ait Cassiodorus *lib.* 4. *var. epistol.* 38. *&* 50. *Campani Vesuvii, montis hostilitate vastati, clementiæ nostræ supplices lachrymas profuderunt, ut agrorum fructibus enudati subleventur onere tributariæ functionis, quod fieri debere nostra meritò pietas acquiescit, ut agris ibidem diligenter inspectis, quantùm possessoris laboravit utilitas sublevetur, quatenus mensurata conferatur quantitas beneficii, dum modus integer cognoscitur læsionis; repugnante siquidem naturâ, quælibet cedit industria, nec prodest laboris studium impendere, quem ubertas loci non cognoscitur adjuvare.* Quamvis ergò conductor non

non quaſi indebitum condicit, cum per Cap. 12
errorem non dederit plus, ſed ut ſibi in cauſa conductionis proſpiceret, rectiſſimè tamen Mela ſcripſit, *penſionem iſtius temporis quo uſus fruitus non eſt, ex conducto actione repetiturum, nam inter eum qui per errorem ſolvit, & eum qui penſionem integram prærogavit, multum intereſt.* Verba ſunt JCti. Ulpiani *in l. ſi addes.* 19. §. *ſi quis.* 6. *ff. locat.* Caſtill. Sotomajor. *lib.* 3. *controv. quotid. cap.* 3. *n.* 9. *& ſeqq.* Caroc. *d. quæſt.* 18. *n.* 103. *&* 140. Pinell. *ad l.* 2. *C. de reſcind. vendit. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 20.

Dixi, *ſi locatoris nulla culpa argui poteſt.*
Si enim *forte dominus frui non patiatur,* 5
vel cum ipſe locaſſet, vel cum alius alienum, vel quaſi procurator, vel quaſi ſuum, quod intereſt præſtabitur. d. l. 15. §. 8. *ff. locat.* Locator namque obligatus eſt, ad rem tradendam, ejuſmodi, ut ea poſſit conductor uti frui, ſecundùm legem conventionis, quod niſi fiat, locatoris culpa plectitur damno litis æſtimatæ, quanti intereſt conductoris, re uti frui

Cap. 12. non licuisse. Quæ actio conductori competit, etiamsi tempore conductionis omnibus casibus fortuitis renunciaverit. Menoch. *lib.* 1. *cons.* 27. *n.* 12. & *seqq. consil.* 55. *n.* 13. & *lib.* 7. *consil.* 671. *n.* 1. & *seqq.* Surdus *decis.* 326. *n.* 56. Pantzschmann. *d. part.* 1. *quæst.* 13. *n.* 9. & *seqq.* & *quæst.* 15. *n.* 15. & *seqq.* Castill. Sotomaj. *d. cap.* 3. *n.* 56. & *seqq.* Acac. de Ripoll. *var. resol. cap.* 12. *n.* 321. & *seqq.* Card. Mantic. *de tac. & amb. convent. lib.* 5. *tit.* 8. *n.* 17. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 139. & *seqq.* Augustin. Barbosa *ad l.* 8. *C. locat. n.* 17. D. Matthæus
6 *d. cap.* 5. *n.* 15. Quare non dubito, quin idem Menochius. *d. consil.* 27. & *consil.* 671. rectè responderit, Regem Hispaniæ, conductori vectigalis lanarum, etsi casibus omnibus fortuitis renunciasset, remissionem mercedis præstare debuisse, ex eo, quod ille Rex annis 1585. & 1586. omnia negotia, & commercia cum Hollandis, Zelandis, Germanis, Anglis, aliisque inhibuerat. A quo non abeunt Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 70. & *seqq.*
&

& n. 107. Garſ. *d. deciſ.* 299. *per tot.* Cap. 13
Surdus *deciſ.* 326. *n.* 14. *& ſeqq.* Giurba *obſerv. deciſ.* 24. *n.* 11. *verſ. Amplia* 3. In tantum, ut non valeat pactum 7
conventum, ut locator, ſuâ culpâ uſum rei colono impune auferre, vel ne 8
conductor remiſſionem mercedis petere poſſit, etſi locator non præſtiterit patientiam, uti frui re locatâ licere. Cum illud pactum naturam, & ſubſtantiam contractus locationis conductionis planè evertat, atque anſam delinquendi præbeat. Menoch. *d.conſil.* 671. *n.* 16. *& ſeqq.* Alciat. *reſponſ.* 157. *n.* 13. Garſ. Maſtrill. *deciſ. Regn. Sicil.* 299. *n.* 121. 122. Giurba *d. loc.* Mozzius *d. tract. locat. tit. de accident. locat. n.* 57. *& ſeqq.* Caſtillo Sotomaj. *d. cap.* 3. *n.* 66. *& ſeqq.*
Nec refert hoc caſu, modicum, an ma- 9
gnum damnum conductor paſſus fuerit. Nam, quod modò dicebamus, ad remiſſionem petendam requiri, ut intolerabile damnum ſit, modicum autem damnum ad colonum ſpectare, id ita exaudiendum eſt, ſi damnum caſu acci-

 derit,

Cap.12 derit, non ſi locatoris facto, qui omne omnino damnum reſarcire debet. Caſtill. Sotomaj. *d. cap.* 3. *n.* 39. *& ſeqq.* Mantica. *d. tit.* 8. *n.* 33. 34. Anton. de Amato *part.* 1. *forenſ. jur. reſol. cap.* 18. *n.* 23. Maſtrill. *d. deciſ.* 299. *n.* 119.

10 Tantundem dicendum eſt, ſi in odium, aut incommodum locatoris damnum contigerit fructibus, etſi jam à conductore collectis, & in ipſius horreum reconditis. Culpæ enim & facto locatoris annumeratur, ſi ab ejus inimico, aut in ipſius odium damnum datum ſit, ſive juſtæ, ſive injuſtæ inimicitiæ proponantur. *l. ſi merces* 25. §. *culpæ* 4. *ff. locat. & arg. l. ſi is cum quo* 20. *ff. commun. divid. l. in his rebus* 66. *ff. ſolut. matr.* Quod exemplo illuſtrat, ſicque à Senatu Sabaudiæ judicatum eſſe refert Faber *ad Cod. tit. Locat. defin.* 24. *verſ. Ex contrario.* Conſentit Joan. à Sande *lib.* 5. *deciſ. Friſic. tit.* 7. *defin.* 2.

CAPUT

CAPUT TERTIUM-DECIMUM.

Bellum non infringit contractus antea factos.

SUMMARIA.

1. *Qui propter bellum aufugerunt, an finito eodem teneantur in conductionem redire?*
2. *Negantium sententia refertur.*
3. *Refellitur.*
4. *Conductor qui tempore belli usus fruitus non fuit, potest in locationem redire ad tempus usque conventum.*
5. *Quod Legislatoris nostratis edicto confirmatur.*
6. *Conductor qui prædium conduxit ad quadriennium, an impeditus propter bellum possit, post discessum ho-*

Cap. 13 *ſtium, petere, ut novis annis ei liceat prædio uti frui, ut tempus ei ſit utile, non continuum?*

7. *Negativa ſententia aſſeritur.*
8. *Jure Romano veteres conductores fundorum publicorum novis præferebantur.*
9. *Cujus ratio redditur.*
10. *Quod apud nos exolevit.*
11. *Itidem apud exteros.*
12. *Friſii tamen jus Romanum obſervant.*
13. *Si res conducta non amplius extat, vel ſi poſt diſceſſum hoſtium non ſupereſt utendi fruendi facultas, conductor à contractu diſcedere poteſt, etſi tempore belli initus ſit.*
14. *Emphyteuta poteſt dimittere domum, ſi ea vi hoſtili dejecta fuerit.*
15. *An Emphyteuta poterit deſerere emphyteuſin, & refutare domino quandocunque libuerit?*
16. *Quod negatur, & rationibus adſtruitur.*
17. *Aliorum mores referuntur.*
18. *Si emphyteuta rem derelinquere velit*

nullam

nullam ſumptuum à ſe factorum habebit repetitionem. Cap 13

19. *Reliqua quoque omnia præteritorum annorum ſolvere tenebitur.*

INtueamur mitiora tempora. 1
Poſtquam receptui cecinerunt Galli, relinquentes vacuam poſſeſſionem hujus Provinciæ, redierunt ob bellum profugi, inquilini, & coloni, verùm iidem pecuniâ vacui. Qui ilico cauſantur, ſe non eſſe ferendo priſtino oneri mercedum, nec domos, fundosque nunc tanti valere, quanti ante calamitatem bellicam, quare detrectant in conductionem redire, niſi minuatur
merces. Quid juris? Et non deſunt, 2
qui docent, iis, qui propter bellum prædium deſerere coacti ſunt, liberum eſſe à contractu recedere, quaſi alterato rei ſtatu, & re non amplius integrâ. Ferron. *ad conſuet. Burdegal. tit.* 8. §. 3. Alciat. *conſil.* 762. *n.* 3. Carpan. *ad ſtatut.*
Mediol. tom. 2. *cap.* 394. *n.* 376. Verùm 3

 ea

Cap. 13 ea ſententia à jure aliena eſt. Nec enim ullo jure cautum, aut moribus receptum eſt, ut bellum ſit modus diſſolvendæ obligationis, cum tamen ſine jure, jus obligationis perimi non poſſit. Illud ſaltem in jure invenias, conductori dari remiſſionem mercedis pro rata temporis, & impedimenti bellici, quo ei uſus rei locatæ inutilis fuit. *l.* 15. §. 2. *& ſeqq. ff. locat.*, quod certè fruſtra conſtitutum foret, ſi ob impeditum temporarium uſum, conductori liceat à locatione diſcedere. Covarr. *pract. quæſt.* 30. *n.* 3. Cancer *variar. reſol. tom.* 3. *cap.* 6. *n.* 97. Caroc. *tract. locat. cond. part.* 4. *quæſt.* 18. *n.* 8. Coſta *de quota & rata quæſt.* 141. *n.* 9. Alv. Valaſc. *tract. de jur. Emphyt. quæſt.* 22. *n.* 6. Ranchin. *part.* 6. *concl.* 31. La Roche *en ſes arreſts liv.* 6. *verb. affermes tit.* 3. *art.* 4. Bouvot *en ſes arreſts tom.* 2. *verb. bail à ferme queſt.* 69. Mevius *d. tract. levam. inop. debit. cap.* 1. *n.* 73. *& part.* 6. *deciſ. Viſmar.* 46. *n.* 4. *& ſeqq.* Manz. *in patrocin. debit. decad.* 1. *quæſt.* 1. *n.* 33. *& ſeqq.* Grotius *lib.* 3.

Iſag.

Isag. part. 19. *n.* 53. D'Espeisses *aud. tit. du louage sect.* 5. *n.* 27. Similiter, & vice Cap.13 4
versâ, si conductor, finito bello, in locationem velit reverti, non poterit à locatore excludi, ob id, quod, tempore belli, prædium deseruerit. Boss. *d. tit. de remiss. merced. n.* 29. Caroc. *d. quæst.* 18. *n.* 94. Carpan. *d. cap.* 394. *n.* 21. Id 5
quod Legislator nostras speciatim cavit ante-relatâ ordinatione *anni* 1674. *art.* 8. qui Latinè sic sonat. *Omnes contractus obligationes, pactaque conventa, quatenus præfatis articulis non restricta, nec temperata sunt, suum robur, pristinumque vigorem retinento.*

Quid si conductor qui prædium con- 6
duxerat ad quadriennium, duobus prioribus annis solummodo usus fruitus erat, posterioribus duobus annis, per populationem bellicam, in cultura impeditus fuerit, poteritne petere, ut, post elapsum quadriennium, sibi adhuc liceat arvum colere duobus novis annis, ut quadriennium sibi sit utile, non continuum? Quod negandum puto, sicuti 7
enim

Cap.13 enim poſt tempora locationis impleta, invitus conductor retineri nequit, *l.* 11. *C. locat.* ita conductor invito locatore remanere nequit in re conducta, qui rem ſuam alii poteſt elocare, nec cogitur priſtinum conductorem novo præferre *l.* 32. *C. eod.* Finito enim conductionis tempore jus locationis-conductionis evaneſcit. Vinc. de Franchis. *deciſ.* 451. *& ibi Riccius in annot.* Joſ. à Seſſe *deciſ. Regn. Arag.* 186. *n.* 5. Bacquet *en ſes queſt. ſur les baux des boutiq. du Palais chap.* 5. *n.* 3. Steph. Gratian. *tom.* 2. *diſcept. forenſ. cap.* 357. *per tot.* Gabr. Alvar. de Valaſc. *tract. de privil. miſerab. perſon. part.* 2. *quæſt.* 8. *n.* 329. 330. Mar. Giurba *deciſ. Regn. Sicil.* 59. *n.* 6. *& ſeqq.* Quapropter conductor pro bienni iſta calamitate, intermiſſaque cultura nihil amplius poſtulare poterit, quam remiſſionem mercedis, i-
8 ſtius temporis. Illud quidem Jure Romano conſtitutum erat, *ut veteres poſſeſſores fundorum publicorum, novis conductoribus præferantur, ſi facta per alios au-*

gmenta

gmenta suscipiant. l. congruit 4. *C. de locat.* Cap. 13
prædior. civil. vel fiscal. Nec mirum 9
cum agrorum publicorum conducto-
res, eo Jure, in eam adigebantur con-
ditionem, ut si impleto conductionis
tempore discedere velint, eosdem a-
gros prioribus pensionibus suscipere
compellantur, siquidem maximos fru-
ctus ex eorum redemptione sint conse-
cuti, nec tanti postea locari possint. *l. co-
em* 11. *§. ult. ff. de publican.* Id quod
am rationem habebat, ut tanto prom-
ptius, & facilius, Respublica inveniat
conductores. Verùm cum hodiè, ob 10
conductorum frequentiam, Fiscus sol-
licitus esse non possit de conquirendis
conductoribus, ideo præfata lex *con-
gruit*, nostris moribus antiquata est, us-
que adeo, ut, si peracto conductionis
tempore, redemptores eam iterare per-
cupiant, pari, vel etiam meliori obla-
tâ conditione, nihil agant, quo minus
Fiscus liberè publicos agros aliis locet.
Groenew. *de LL. Abrog. ad d. l. congruit.*
D. Ant. Matthæus *tract. de Auction. lib.* 11
2. cap.

Cap.13 2. *cap.* 2. *n.* 9. *& cap.* 5. *n.* 19. *in medio.* Eadem lex exolevit quoque apud Gallos. Choppin. *de Doman. Gall. lib.* 3. *tit.* 13. *locat. conduct. n.* 10. Mornac. *ad l. Emptorem* 9. *Cod. locat.* Venetos. Peregrin. *de jur. Fisc. lib.* 6. *tit.* 5. *n.* 6. *in fin.* Burgundos. Bouvot *tom.* 2. *arrest. verb.*
12 *bail à ferme quest.* 28. Frisii tamen adhuc hodie juri Romano inhærent, & publicorum prædiorum conductores novis licitatoribus præferunt, si parem conditionem offerant. Sande *lib.*3.*tit.*6. *defin.* 2. *vers. Tertia Exceptio.*

13 Quod modò dicebamus bellum non infringere contractus, id exaudiendum est, si post discessum hostium superest utendi fruendi facultas, si enim res conducta, vel potissima ejus pars non amplius extat, frustra de ejus usu, & locationis patientia disputabimus, eoque casu conductor, sine dubio, à contractu discedere poterit. Ut ecce, conduxerat quis pomarium, in quo arbores hostili lascivie excisæ sunt, non tenetur colonus in locationem reverti, cum facies

cies rei mutata ſit, & licet fundus ſu- Cap.13
perſit, perceptio tamen fructuum, & fruitio fundi non amplius ei patet, nec, in conducendo, fundum, ſed, in eo, arbores pomiferas conſideravit; itaque, quantùm ad conductorem attinet, ſubſtantia rei locatæ periit, cujus uſum locator ei amplius præſtare nequit, ad quod tamen actione locati tenebatur *l.* 15. §. 1. *& ſeqq. ff. locat.* Cum ergò cauſa, & finis, propter quem conduxit, ceſſat, evanuit quoque ipſe contractus. Boſſius *d. tit. n.* 42. Pantzſchmann. *d. tract. quæst.* 5. *n.* 10. *& quæſt.* 15. *n.* 43. Giurba *d. obſervat.* 24. *n.* 10. Niger Cyriac. *tom.* 3. *controv.* 440. *n.* 8. *& ſeqq.* Mevius *d. deciſ.* 46. Confer ea, quæ ſupra *cap.* 6. *n.* 2. diſſeruimus.

14 Ex quo fundamento non malè judicarunt Lutetiani Patres, deſtructâ vel combuſtâ ab hoſtibus molâ, vel domo, quam dominus perpetuâ mercede alicui in libellæ formulam conceſſerat, poſſe eam, unà cum ſolo, emphyteuſam, ſuperficiarium, aut libellarium

poſ-

Cap.13 possessorem dimittere, atque ita annui vectigalis jugum excutere; iniquum enim visum est, emphyteutam, (& similes) dejectarum, crematarumque molarum, ædiumve refectione onerari, qui huic oneri ferendo sæpe impar est. Æquitas igitur suadet, ut utrique dispendiosum sit rei excidium, emphyteutæ, qui nudè emphyteusi cedit, domino verò penes quem directum remansit solum, ex quo solarium reditum recepit. Hactenus tamen ut præteriti temporis reditus appendat domino, atque penes eum dimittat aream, fundum, rudera, omnemque ruinarum materiem. Choppin. *ad mores Paris. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 7. *idem ad LL. And. lib.* 3. *cap.* 3. *tit.* 4. *de judic. pigner. fund. dimiss. n.* 6. Tronçon *sur les coust. de Paris art.* 109. *vers. En aussi bon estat.* Charond. *ad eund. art. & en ses Pand. lib.* 4. *chap.* 23. *p. m.* 575. Bacquet *traict. du droict de justice chap.* 21. *n.* 205. Loyseau *au traicte du deguerpissement liv.* 5. *chap.* 6. *&* 7. Louet *en ses arrests lit. D. arr.* 41. *& ibi Brodeau in notis.* Mornac.

nac. *ad l.* 1. *C. de jur. Emphyt.* Valaſc. Cap. 13 *tract. de jur. Emphyt. quæſt.* 27. *n.* 2. Utcunque ſint, qui diſſentiunt. Surdus *deciſ. Mantuan.* 198. Charondas, *ſibi contrarius, en ſes Pand. liv.* 2. *chap.* 38. *à la fin.* Verùm horum argumenta præfati Doctores, præſertim Loyſeau *dd. capp.* abundè diluerunt.

Quid ſi non deteriore conditione, 15
imò meliore res facta ſit, quam erat eo tempore quo accipiebatur, licebitne emphyteutæ refutare emphyteuſin, invito domino, ut ſe liberet à præſtandi canonis annui neceſſitate? Hæc quæſtio ſæpius apud nos in conſultationem collata eſt, occaſione occupatæ noſtræ per Gallos Provinciæ, quo factum eſt, ut mercedes prædiorum infra dimidium ferè earum, quæ antea præſtabantur, decreverint, atque emphyteuta vix à colono ſtipulari poſſit tantam pecuniam, quæ canonem promiſſum æquet annuum. Et puto eam ceſſionem em- 16
phyteutæ non eſſe concedendam: propriè enim non tam ratione rei obliga-

Cap. 13 tus eſt, quàm vi actionis perſonalis ex contractu, quo ei res poſſidenda tradita fuit, ſub lege annuæ penſionis, & meliorationis: de quo contractu apud veteres dubitatum fuit, an locatio, an verò venditio nominaretur, donec Zenonianâ lege nactus fuit proprium nomen, propriamque naturam, ſuis pactionibus fulciendam. *§. adeo Inſt. locat. l. 1. C. de jur. Emphyt.* à quo contractu, invito domino, reſilire non lice temphyteutæ. Etenim *ſicut initio libera poteſtas unicuique eſt habendi, vel non habendi contractus, ita renunciare ſemel conſtitutæ obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt; quapropter intelligere debetis voluntariæ obligationi ſemel vos nexos, ab hac, non conſentiente alterâ parte, de cujus precibus feciſtis mentionem, minimè poſſe diſcedere.* Reſcribunt Impp. Valer. & Gallien. *in l. 5. C. de oblig. & act.* Annua namque illa penſio recognitio ſolummodo eſt domini, licet propter poſſeſſionem rei, quemadmodum fit in locatione in qua merces conſtituitur pro

uſu

usu rei: melioratio verò, quam in se Cap. 13
suscepit emphyteuta, in præstatione personali consistit, utraque ex contractu ultro citroque obligatorio orta. Sicuti ergo dominus directus emphyteutam ad lubitum prædio expellere nequit, ita vicissim emphyteuta invito domino prædium deserere non potest. Tiraquell. *du retraict lignag*, §. 34. *gl*. 1. *n*. 1. 2. Ant. Thessaur. *decis*. 20. *n*. 2. Alv. Valasc. de *iur. emphyt. quæst*. 38. *n*. 24. *in fine*. Papon. *tom*. 1. *Notaire liv*. 2. *tit. emphyteose vers. Cela est la raison*. Mornac. *ad l*. 1. C. *de jur. Emphyt*. Faber *ad eundem tit. Cod. defin*. 11. *n*. 1. *& in not*. La Roche *au traicté des droicts Seign. chap*. 15. *du deguerpiss. art*. 1. Cancer. *part*. 3. *var. resol. cap*. 1. *n*. 184. Steph. Gratian. *tom*. 5. *decis. Rot. March*. 87. Perez. *ad tit. C. de indiction. n*. 26. D'Espeisses *tom*. 3. *art*. 4. *des droicts de l'Emphyteose n*. 14. *vers. Quinto*. Id quod apud Gallos variorum locorum statutis definitum est, quæ diligenter congessit Tronçonius *sur les coust. de Paris art*. 109. *au commenc*.

Cap. 13

17 Moribus tamen multorum locorum invaluit, ut ſi emphyteuta, quamvis perſonali actione conventus, rem derelinquere malit, quam canonem annuum ſolvere, abdicatione illâ defungi poſſit, ſi non expreſſâ conventione ſibi dominus in contrarium proſpexerit, modò emphyteuta rem deteriorem non fecerit, nec quicquam impediverit, quo minus vacuam ejus poſſeſſionem dominus nanciſci potuerit. Tiraquell. *d. gl.* 1. *n.* 3. Charond. *ſur les couſt. de Paris art.* 109. Bacquet *aud. chap.* 21. *n.* 206. Coquille *ſur les couſt. de Nivernois tit. des cenſ. art.* 20. Faber *d. defin.* 11. *n.* 2. *& ſeqq.* Duret *ſur Orleans* §. 134. *verb. Reconcer à la teneure.* Conſultat. JC. Batav. *part.* 5. *conſ.* 36.

18 De ſimili conſuetudine nihil certi hactenus in noſtra Provincia patuit mihi, & dum ſub judice lis eſt, ſufficiet indicaſſe veritatem juris, & præterea auctoritatem conſuetudinis, ubicunque illa viguerit.

Planè ſi emphyteuta illic loci, ubi vel con-

consuetudine, vel aliàs abdicare em- Cap.13
phyteusin potest, eam derelinquere velit,
nullam sumptuum à se factorum habe-
bit repetitionem, cum ad hoc ipsum
emphyteusin acceperit, ut rem melio-
rem faceret; ideoque sibi imputare de-
bebit, quod, meliorem factam, velit
ultro dimittere, atque tanti habuisse, re
carere. *arg. l.4.§.1.ff. de alienat. jud. mut.
caus. fact.* Faber *ad d.tit.C.de jur.Emphyt.
defin.* 13. Loyseau *au traicte du deguer-
piss. liv.* 4. *chap.* 5. *n.* 6. Charond. *aud.
art.* 109. *vers. au contraire, & en ses Pan-
dect. liv.* 4. *chap.* 23. *vers. Toutesfois p.m.*
575. Labbè *sur les coust. de Berry tit. des
executions art.* 33. *verb. deschargez.* Con-
sult. JC. Batav. *d. cons.* 36. *in fine.*

Insuper, præteritorum annorum re- 20
liqua omnia ad quadrantem usque em-
phyteuta solvere necesse habebit, non
enim illi prodesse debet emphyteusis,
quantum ad tempus quo ipse eam pos-
sedit, & fructus inde percepit. Charond.
aud. art. 109. Papon. *aud. vers. Cela est
la raison.* Coquille *aud. art.* 20. *vers. ar-*

Cap.13 *rerages*. Loyſeau *aud. traicté lib.* 5. *chap.* 9. Duret *aud.art.* 134. *verſ. qu'il ait payé les arrerages*. Labbè *aud. art.* 33. *verſ. ſont perſonnellement*. La Roche *d. art.* 1. *& au traicté des droicts Seigneur. chap. des infeud. art.* 30. Faber. *d. defin.* 11. *n.* 8. D'Eſpeiſſes *aud. traict. art.* 5. *n.* 4.

F I N I S.



IN-

INDEX RERUM

Quæ in hoc tractatu continentur.

Prior numerus paginam, Alter numerum marginalem denotat.

A.

B.

C.

Colo-

Con-

D.

E.

Em-

F.

Fiscus

I.

L.

M.


P.

R.

S.

T.

V.



ULTRAJECTI,

Typis *Georgii à Poolsum*, Typograph. Anno 1678.

